



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus
Tractatus de Prædestinatione, de Trinitate, de Angelis, & de homine

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

Disp. XIII. De primo peccato Angelorum,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77146](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77146)

Ad confirmationem respondeo Divum Thomam in primo loco solum velle, quod Angelus post primum actum charitatis omnino liberum, habeat tam quoad exercitium quam quoad specificationem, beatus fuit: in secundo vero quod post primum instantans mensurans actum omnino liberum, nisi peccasset, beatitudinem accepisset. Obijciunt tertiò in eandem conclusionem. In bonis Angelis idem potuit esse instantans glorificationis & meriti: Ergo illorum via duo tantum instantans instantia. Consequentia patet, Antecedens probatur primò, quia anima rationalis meretur in primo instanti egressione à corpore, quod tamen est tempus primum instantans beatitudinis: Ergo etiam potuit Angelus in uno & eodem instanti mereri, & esse Beatus. Consequentia est evidens ex paritate rationis. Antecedens verò suadetur: quia Martyr non meretur coronam martyrii usque ad mortem inclusivè, cum ad veram rationem martyrii requiratur mors, quæ non est nisi in primo non esse animæ in corpore.

Confirmatur: Si quis existens in peccato mortali, avertens tamen & confessus, in instanti terminativo verborum absolutionis moriatur, ita primum non esse illorum verborum, sit etiam primum non esse talis hominis, in illo instanti operationis animæ, recipit gratiam sanctificantem, remissionem sui peccati, meretur præmium æternale, & nisi impediatur ratione alicujus peccati in purgatorio luendæ, simul beatificatur: Ergo pariter Angelus in instanti terminativo sue præ, potuit simul perfectè mereri, & præmium æternale sui meriti recipere.

Confirmatur ampliùs: Aliquod meritum potest esse simul duratione cum præmio, solâ prioritate naturæ ipsius antecedendo; ut patet de augmento gratiæ per actum ferventiorum: Cur ergo similiter meritum plenè liberum boni Angelus non potuit in eadem duratione esse, simul cum præmio essentiali ipsius, ita tamen quod prioritate naturæ illud præcesserit? Imò ita sentit videtur D. Thomas in 2. sententiarum dist. 5. quæst. 2. art. 2. ubi ait: *Meritum in bonis Angelis non præcedit præmium tempore sed naturâ.*

Respondeo negando Antecedens, & ad illius probationem, nego pariter Antecedens. Ad hujus tamen probationem, in primis dico esse satis probabile, non requiri ad coronam martyrii quod tantum sequatur mors, sed sufficere quod tale vulnus infligatur, quod de facto per se natum est inferre mortem, quamvis ex aliquo accidente mors impediatur. Secundo dico, quod si mors sequatur, meritum tamen non extenditur formaliter usque ad instanti ipsius inclusivè, sed exclusivè tantum, & solum est in eo tempore in quo cõtinuatur tolerantia a vulnere actu inferentium mortem: unde delicatè illa tolerantia primò non est in instanti mortis, ita nec meritum, sed imediately antea fuit.

Ad primam confirmationem dicendum, quod si homo ille iustificaretur, non haberet gratiam ex merito, sed ex efficacia sacramenti, & ex opere operato. Dico si iustificaretur: quia satis probabile est, quod absolutio non sortiretur effectum, nõ delectu efficacia, sed defectu subiecti capax; subiectum enim capax effectus absolutionis, non est anima separata à corpore, sed totus homo viator.

Ad secundam confirmationem respondeo quod licet aliquod meritum possit esse simul duratione cum suo præmio, solâ prioritate naturæ ipsius antecedendo, ut patet in exemplo adducto de augmento gratiæ per actum ferventiorum: tamè

A meritum vitæ æternæ nequit esse simul duratione cù ipsa. Ratio disparitatis est, quia actus meritorius augmenti gratiæ, non mensuratur aliquâ cognitione incompensibili cum præmio, sicut mensuratur actus meritorius vitæ æternæ, ut articulo præcedenti ostensum est. Unde ad testimonium D. Thomæ dicendum est, ipsum non loqui ibi secundum propriam sententiam, sed juxta sententiam quorundam Theologorum, qui dicebant Angelos nõ fuisse creatos in gratia, sed posteriùs duratione ad suam creationem, fuisse eis simul datam gratiam & gloriam: cum enim gloria habeat rationem præmii, non potest alio modo idoneo defendi illa sententia, nisi admittendo meritum fuisse naturâ prius quàm gloriam.

Cætera quæ docet D. Thomas in aliis articulis hujus questionis, vel facilia sunt, vel ad alios Tractatus pertinent, ideoque ea præmittimus, ut ad difficiliore hujus Tractatus quæstiones gradum faciamus. Unde sic



DISPUTATIO XIII.

De primo peccato Angelorum,

Ad quæstionem 63. D. Thomæ.

C Duplex malum incurrit malus Angelus peccando, & avertendo se à Deo incommutabili bono, ut ad bonum proprium se converteret: primum est malum culpæ, alterum pænæ. De utroque differit hic S. Doctor: de primo quidem in hac quæstione, quam inscribit: *de Angelorum malitia quoad culpam*: de altero verò quæst. sequenti, ubi agit de pænâ Dæmonum. Sed antequam de primo Angelorum peccato disputemus, discutienda est celebris difficultas, quam hic Theologi agitare solent; an scilicet possit dari aliqua creatura intellectualis, ex natura sua impeccabilis? Unde sic

ARTICULUS I.

Verum possit dari creatura intellectualis, ex sua natura simpliciter, vel saltem secundum quid impeccabilis?

N ullam dari de facto intellectualem creaturam, quæ ex se impeccabilis sit, absoluta fides est: nam omnis creatura intellectualis, vel angelica est, vel humana: utramque autem de facto peccasse, aperte Scripturæ testantur, præsertim Job 4. ubi dicitur: *Eccce qui serviunt ei non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit pravitatem: quando magis hi qui habitant domos luceas: &c.* Quasi diceret, ait ibi Gregorius: *Si illi spiritus esse incommutabiles nequeunt, qui nullâ carnis infirmitate deprimuntur; quâ temeritate se homines in bono permanere constantem existimant? quos in eo quod intellectus ad summa evehit, carnalis infirmitas aggravans præpedi, ut per corruptionis vitium in semetipsis habeant, unde ab intima novitate veterascant.* Unde S. Thomas hic art. 1. ait quod tam Angelus quam quacumque creatura rationalis, si in sua natura consideretur, potest peccare; & cuicumque creatura hoc convenit quod peccare non possit, hoc habet ex dono gratiæ, non ex conditione naturæ.

Idem passim docent SS. Patres: Augustinus Hhh 2 enim



enim libro 3. contra Maximum cap. 12. ait solum Deum immortalitatem habere, nimirum quia est immutabilis solus: in omni enim mutabili natura, nonnulla mors est ipsa mutatio. Tum paucis interjectis: Et creaturarum natura celestium mori potuit, quia peccare potuit. Nam & Angeli peccaverunt, & demones facti sunt, quorum est diabolus princeps; & qui non peccaverunt, peccare poterunt. Et cuiusque creatura rationali praestatur, ut peccare non possit, non est hoc natura proprie, sed Dei gratia. Quem locum uberrimè pertractat Fulgentius libro de fide ad

Cap. 3. Petrum, ubi intra alia: Illos quoque (ait) quos terrenorum corporum gravat nulla luculenta materies, id est Angelicos Spiritus, quis non videat non unius natura esse cum Deo, sed factos ex nihilo, quorum naturalis mutabilitas in eo cognoscitur, quia ejusdem natura pars est in deterius permutata? Deinde postea cum dixisset Angelos sanctos in deterius non posse mutari, id unde illis accidat, his verbis exponit: Sed hoc ipsum quod ab illo statu beatitudinis, in quo sunt, mutari in deterius nullatenus possunt, non est eis naturaliter insitum, sed postquam creati sunt, gratia divina largitate collatum. Sicut enim Angeli naturaliter incommutabiles fuerunt, nunquam de eorum consortio diabolus & ejus Angeli cecidissent. Basilus quoque de Spiritu Sancto cap. 16. ait. Iuris sui ac libertatis esse invisibiles virtutes, & aequè in virtutem ac vitium vergere; ideoque ope Sancti Spiritus egere. Item

Gregorius Papa: Natura (inquit) Angelica, est contemplationi Authoris inhaerendo, in statu suo immutabiliter permanet, eo ipso tamen quo creatura est, in semetipsa vicissitudinem mutabilitatis habet. Deum Isidorus libro 1. de summo bono cap. 12. Gratia dicimus non natura esse incommutabiles Angelos: nam si natura incommutabiles essent, Diabolus non utique cecidisset. Hoc praemisso tanquam certo.

Difficultas & controversia est inter Theologos, an de potentia Dei absoluta dari possit creatura ex sua natura omnino impeccabilis? Dixi, ex sua natura, nam per donum aliquod gratuitum extrinsecè adveniens posse aliquem reddi simpliciter impeccabilem, patet in Beatis, in humanitate Christi, & in Beata Virgine. Addidi, simpliciter impeccabilis, vel saltem secundum quid: quia cum Deus ut ultimus finis distinguatur in seipsum ut finem & authorem naturae, & in seipsum ut finem & authorem gratiae, potest aliqua creatura intelligi impeccabilis simpliciter, & secundum quid. Esset impeccabilis simpliciter, si non posset nõ referre omnia perfectissimè in Deum, tanquam in ultimū finem tam naturalem quam supernaturalem; quod contingeret, si contra aut praeter ejus praecipua, tam naturalia, quam supernaturalia, nihil penitus agere posset. Esset vero impeccabilis secundum quid, si non posset deficere à recto ordine ad ultimum finem naturalem, violando aliquod ejus praecipuum, aut aliquid agendo praeter illius praecipua.

§. I.

Statuitur prima Conclusio.

2. Dico primò, nullam posse dari creaturam intellectualem ita perfectam, ut sit simpliciter impeccabilis per naturam. Est contra quosdam antiquos Theologos, quibus favent Molina & alii moderni, docentes posse creari à Deo substantiam aliquam, cui lumen gloriae sit connaturale, & consequenter quae sit ab intrinsecò impeccabilis.

A Nostra tamen conclusio passim docetur 288. Patribus, exponentibus haec verba Apostoli ad Timot. 6. Qui solus habet immortalitatem: hoc est intelligant non solum de immortalitate operetiam de illa quae contrariatur morti peccati, sed supra ex Augustino videmus, & eleganter declarat Hieronymus in Commentariis ad Epistolam Pauli ad Titum, sub initium, his verbis: Quomodo solus Deus habere dicitur immortalitatem: ita & solus dicitur esse verax: non quod & ceteri non mortales & veritatis sint amatores, sed quod illi solus naturaliter sit & immortalis & verus: Ceteri vero immortalitatem & veritatem ex largitione illius dono consequuntur; & aliud sit verum esse, & quid habere per semet, aliud in potestate donatus esse, quod habere. Item Augustinus libro 12. de civit. cap. 1. & 6. & alibi saepe, probat omnem creaturam posse peccare, quia ex nihilo est. Quae etiam ratione utitur Nisicenus, Damascenus, Fulgentius, Gregorius Papa, & alii, eamque Prudentius his verbis insinuavit.

Miraris peccare animam, quae carne cohaeret
Sortita est habitare domum, cum peccati & ipsi
Angelus, hospitium qui nescit adire calidum
Carnis tabernaculi. Peccat, quia factus & ipsi
Non genitus.

Eadem ratio à S. Thoma variis in locis adducitur, praesertim quaest. 24. de verit. art. 7. potest breviter sic proponi. Natura quae est defectibilis in suo esse, etiam defectibilis est in suis operationibus: Sed omnis natura intellectualis creata, hoc ipso quod est ex nihilo, est defectibilis in suo esse: Ergo & in suis operationibus etiam liberis: Ergo hoc ipso quod aliqua natura intellectualis est ex nihilo, est capax peccati. Minor patet, Major verò probatur. Potentia operativa & modus operandi, sequuntur modum esse. Ergo potentia operativa, & operatio libera, fundatae in natura defectibili, sunt etiam defectibiles.

Dices, illas esse defectibiles entitativè, sed quantum ad esse, non tamen moraliter, & quantum ad rectitudinem ac bonitatem.

D Sed contra: Hoc ipso quod creatura est defectibilis in modo operandi, est etiam defectibilis in attingentia objecti & finis: Sed ex attingentia, vel ex ordine ad objectum & finem, sumitur rectitudo seu bonitas moralis operationis: Ergo potentia operativa, & operatio libera, fundatae in natura defectibili, sunt defectibiles, non solum entitativè, & quantum ad esse, sed etiam moraliter, & quantum ad rectitudinem & bonitatem.

Dices rursus: Si hoc quod est creaturam rationalem esse ex nihilo, esset ratio necessarii inferens in illa peccabilitatem, sive defectibilitatem moralem, non posset etiam per aliquod donum gratiae reddi impeccabilis; quia quantumcumque esset gratia & donis ejus perfusa, semper remaneret facta ex nihilo: Consequens non debet admitti, ut constat in Beatis, & in confirmatis in gratia: Ergo nec Antecedens.

Respondeo distinguendo Majorem non posset reddi impeccabilis &c. per naturam, concedo: Ex accidenti & ab extrinsecò, nego: quia ad hoc posterius non est necessarium quod non sit ex nihilo, sicut ad prius, sed sufficit quod peccaverant teneatur in aliquo dono gratuito, cum quo peccatum sit impossibile.

Secunda ratio quam habet idè S. Doctor loco citato,

citato, sic potest proponi. Ut aliqua causa indefectibiliter producat actionem, debet illius principium esse ei connaturale; nam ignis v.g. idem connaturaliter & indefectibiliter calefacit, quia habet calorem sibi connaturalem: Sed nulla creatura rationalis potest habere connaturaliter omnia principia operationum, quibus tendit ac dirigitur in ultimum finem; eò quod principia illa aliquando sunt supernaturalia, ac proinde supra naturam, exigentiam, ac debitum capere, quæ naturæ creatæ & creabilis: Ergo nulla potest dari creatura intellectualis, quæ ex sua natura in omnibus suis actionibus indefectibilis sit & impeccabilis.

Ex hoc facile intelliges, quid intendat D. Thomas loco citato, dum asserit quod ut creatura intellectualis esset naturaliter impeccabilis, debet habere ex sua natura omnem rationem boni. Nam per omnem rationem boni, intelligit omnem principia operationum, quibus tendit ac dirigitur in ultimum finem naturale & supernaturalem. hæc enim principia non incongruè dici possunt rationes omnium bonorum, id est rationes eorum operationum, tendentium in omnem bonum tam naturale quam supernaturale.

Tertia ratio desumpta ex articulo 1. hujus questionis, sic formatur. Principium quod non est regula suæ operationis, nec hujusmodi regulam habet inseparabiliter sibi conjunctam, potest deficere à rectitudine debita tali operationi, & iniquè peccare: Sed nulla voluntas potest à Deo produci, quæ vel sit regula suæ operationis, vel illa regula habeat sibi inseparabiliter conjunctam: Ergo nulla potest produci quæ sit ex natura sua impeccabilis. Major patet, & à D. Thomæ hoc exemplo declaratur. Si manus artificis esset ipsa regula incisionis, artifex non posset nisi rectè lignum scindere: contingit verò incisionem esse rectam & non rectam, quia rectitudo illius est ab alia regula, à qua virtus incisiva deficere potest. Minor verò probatur: Regula operationibus voluntatis debita, est ultimus finis;

nam finis ultimus se habet in practicis, sicut primum principium in speculativis; unde sicut primum principium regulat omnes conclusiones, ita ultimus finis omnes operationes: Atqui nulla voluntas creata est suus ultimus finis, imò nec ex natura sua potest esse conjuncta suo ultimo: Ergo simpliciter, id est tam naturali quam supernaturali; quia finis cui potentia naturalis seu natura ex principiis intrinsicis conjuncta est, non est supernaturalis, sed naturalis: Ergo nulla voluntas creata potest esse regula, vel habere inseparabiliter conjunctam regulam suæ operationis.

Dices, Sufficit ad impeccabilitatem voluntatis, illam esse ex natura sua determinatam ad conformandum se regulæ: quamvis non sit ipsa regula, vel illi inseparabiliter conjuncta: Sed hæc determinatio potest convenire ex sua natura voluntati creatæ, vel saltem creabili: Ergo dum potest voluntas creata ex sua natura impeccabilis.

Sed contra: Determinatio principii ex natura sua ad conformandum se regulæ, est sufficiens conjunctio cum regulæ; & in hoc sensu etiam verum est, quod nulla voluntas creata est conjuncta suæ regulæ ex principiis intrinsicis, id est determinata ex natura sua ad attingendum obiectum conformiter ad regulam: quia sub obiecto voluntatis continentur res tam naturales

quàm supernaturales; nulla autem voluntas creata est ex principiis intrinsicis determinata ad attingendum obiectum supernaturale conformiter ad regulam.

Confirmatur: Ut voluntas esset determinata ad conformandum se regulæ supernaturali, oporteret intellectum quoque esse determinatum ad proponendum voluntati talem regulam, voluntas enim non fertur in obiectum ignotum: Sed hoc est impossibile, aliàs intellectus per sua naturalia, & sine revelatione, cognosceret finem supernaturalem, præcepta supernaturalia, & circumstantias quæ sumuntur ex lege supernaturali; quæ tamen nulla creatura potest naturaliter cognoscere, cum dependeat ex mera Dei voluntate, & noscantur solum ex Dei revelatione: Ergo &c.

Confirmatur amplius: Regula voluntatis est rectum dictamen rationis: Ergo regula operationum supernaturalium, est rectum dictamen supernaturale in ordine ad finem supernaturalem: Sed nulli creaturæ est connaturale habere iudicium & dictamen rectum circa supernaturalia: Ergo nulla creatura potest esse naturaliter determinata ad conformandum se suæ regulæ supernaturali.

Dices rursus: Virtutes morales ex sua natura sunt determinatæ ad attingendum infallibiliter bonum honestum: Ergo similiter voluntas creata potest ex sua natura esse determinatæ ad conformandum se suæ regulæ, & ad attingendum indefectibiliter totum suum obiectum.

Sed nego consequentiam, & paritatem: duplex enim est ratio discriminis inter virtutes morales & voluntatem. Nam in primis voluntas est potentia, de cuius ratione est ferri in suum obiectum cum indifferentia ad bene vel male; virtutes autem sunt habitus, qui sunt determinati ad bene: præterea voluntas respicit bonum ut sic; sub quo continetur etiam bonum supernaturale, ad quod attingendū nulla creatura habet ex se virtutem determinatam: habitus verò virtutum, respiciunt particulare bonum ordinis naturalis; non enim hæc loquimur de habitibus supernaturalibus, utpote qui nulli creaturæ sunt connaturales.

§. II.

Solvuntur objectiones.

EX dictis solutum manet præcipuum Adversariorum fundamentum, quod sic proponunt. Potest, inquiunt, fieri à Deo creatura aliqua, quæ ex natura sua sit determinata ad bonum morale ut sic, & tamen indifferens ad diversa bona particularia: Ergo & quæ sit ex natura impeccabilis. Consequentia patet: creatura enim ex natura sua determinata ad bonum morale ut sic, quamvis sit indifferens ad diversa bona particularia, non potest male operari, sed tantum hanc vel illam operationem bonam omittere, elicendo tamen aliquam moraliter bonam, in quo nullum est peccatum. Antecedens verò probatur: quia talis determinatio non requirit infinitatem; ut patet in Beatis, qui sunt omnino determinati ad bonum morale in communi, ratione visionis Beatificæ, etiam si talis visio non sit simpliciter infinita in ipsis: Ergo determinatio ad bonum morale ut sic non repugnat creaturæ.

Patet, inquam, ex dictis hujus argumenti solutio. Antecedens enim distinguendum est: quæ sit determinata ad bonum morale ut sic, si per

H h h ; bonum

bonum morale ut sic intelligatur tantum bonum morale ordinis naturalis in communi sumptum, concedo Antecedens: si significetur bonum morale tam supernaturalis quam naturalis ordinis, nego Antecedens: ad hoc siquidem requireretur quod cognitio boni moralis supernaturalis ordinis, esset tali creatura connaturalis; quod argueret in ea infinitatem simpliciter, cum nulla substantia creata & finita, aliquam formam ordinis supernaturalis connaturaliter possit exigere. Ad exemplum de Beatis dico, quod licet determinatio ad bonum morale ut sic, tam supernaturalis quam naturalis ordinis, proveniens solum ab extrinseco, atque adeo solum accidentaliter (qualis est quae reperitur in Beatis, B ratione visionis Beatificae) non arguat infinitatem in natura cui convenit, bene tamen determinatio ad bonum morale ut sic, naturale & supernaturale, quae provenit ab intrinseco, sive quae connaturaliter convenit alicui naturae.

12. Obicitur secundò: Caeli sunt ex natura sua indefectibiles in operationibus suis; similiter bruta sunt impeccabilia, & immobilia ad bonum sensibile: Ergo à fortiori dari potest aliqua creatura intellectualis, quae sit ex sua natura in suis operationibus indefectibilis, & quae bono morali ut sic immobiliter adhæreat. Probatur consequentia: quia cum indefectibilitas in operando, & immobilis adhæsiō ad bonum, sit maxima perfectio; si reperitur in brutis & in caelis, non verò in natura intellectuali, sequitur naturam corpoream esse perfectiorem spiritali.

13. Respondeo concessio Antecedente, negando Consequentiam & paritatem. Ratio disparitatis est, quia caeli, & animalia bruta habent solum pro suo objecto & ultimo fine aliquod bonum particulare sibi proportionatum; subindeque non est mirum, quod ex divina motione sint omnino determinata ad illud, & consequenter indefectibilia in omnibus suis operationibus: At verò creatura intellectualis, eo ipso quod intellectualis est, habet, vel saltem habere potest pro suo objecto & ultimo fine, bonum morale ut sic, tam supernaturalis quam naturalis ordinis, ad quod in sua latitudine sumptum non potest ex principiis intrinsecis esse determinata ut supra ostensum est. Neque tamen inde sequitur, bruta esse perfectiora creatura intellectuali: est enim major perfectio quod creatura intellectualis possit acquirere bonum supernaturale, quamvis possit etiam ab eo deficere, quam posse acquirere solum aliquod bonum particulare naturalis ordinis, licet indefectibiliter. Sicut enim (inquit Augustinus) melior est natura sentiens, etiam cum doler, quam lapis qui nullo modo dolere potest: ita rationalis natura praestantior est, etiam misera, quam illa quae rationis vel sensus est expers, & in quam proinde non cadit miseria.

12. de civit. cap. 1.

14. Obicitur tertio: Angelus non potest peccare contra praecepta naturalia, ut dicemus conclusionem 3, unde in puris naturalibus constitutus non potuisset peccare: Sed Deus potuisset illum condere in puris naturalibus, & illum non ordinare in finem supernaturalem: Ergo potuisset creare Angelum omnino impeccabilem.

15. Respondeo quod quamvis Angelus non esset ordinatus in finem supernaturalem, quia tamen haberet potentiam obediētiālem, & capacitatem ut ordinaretur, non repugnaret ei, quantum est ex sua natura, posse peccare, proindeque ex sua natura peccabilis esset: sicut etiam nul-

la lex esset ei imposita, peccare posset, quia lex ad imponi posset.

§. III.

Statuitur secunda Conclusio.

Dico secundò: Licet nulla possit dari creatura intellectualis, ex natura sua simpliciter impeccabilis, non repugnat tamen produci à Deo aliquam, quae sit impeccabilis secundum quid, & quae praecepta legis naturae violare nequeat, saltem directe, & per se primo.

Hæc conclusio sequitur ex principiis in precedentiibus statutis circa tertiam probationem. Licet enim ut creatura intellectualis sit ex sua natura impeccabilis simpliciter, requiratur quod sit ex sua natura determinata ad bonum morale, tam supernaturale, quam naturalis ordinis (quod nulli creaturae ex sua natura & ex principiis intrinsecis convenire posse, ibidem ostendimus) ut tamen sit impeccabilis solum secundum quid, & in ordine ad praecepta purè naturalia, sufficit quod sit ex natura sua determinata ad bonum morale naturalis ordinis: hæc autem determinatio, cum sit omni ex parte & simpliciter naturalis, & quid finitum, purè creaturae non repugnat, sicut altera quae arguit infinitatem simpliciter: Ergo licet nulla possit dari creatura intellectualis, simpliciter impeccabilis, & habito respectu ad legem tam supernaturalem quam naturalem, non repugnat tamen dari aliquam impeccabilem secundum quid, & per ordinem solum ad praecepta legis naturalis.

Probatur secundò: Potest dari aliqua creatura intellectualis, cui amor auctoris naturae super omnia sit connaturaliter debitus: Sed dilectio naturalis Dei super omnia, excludit omnia peccata quae sunt contra legem naturae: Ergo possibilis est creatura intellectualis ex sua natura impeccabilis secundum quid, & per respectum ad legem & praecepta ordinis naturalis. Minor patet: nam diligere Deum ut ultimum finem naturalem, est virtualiter velle observare omnia praecepta naturalia, & sine tali virtuali voluntate non potest stare dilectio Dei super omnia; sicut nec intensio efficacis finis, sine efficaci voluntate mediorum. Major autem facile suadetur: Si enim dilectio Dei naturalis super omnia, nulli naturae creatae aut creabili posset esse connaturaliter debita, non esset naturalis, sed supernaturalis; quia illum dicitur supernaturale, quod est supra exigentiam ac debitum cuiuscumque naturae creatae aut creabilis. Hæc conclusio magis patebit ex dicendis in sequenti.

§. IV.

Tertia Conclusio stabilitur.

Dico tertio, Angelum non posse directe & immediate, & per se primo contra legem naturalem peccare; bene tamen indirecte, mediate, & concomitante. Ita communiter noverit Thomistæ contra Suarezem, Vazquem, Molinam, & alios modernos: idque non obscure iulmatur D. Thomashic art. 1. ad 3. his verbis: Naturale est Angelo quod convertatur motu dilectivum in Deum, secundum quod est principium naturalis esse: sed quod convertatur in ipsum, secundum quod est obiectum beatitudinis supernaturalis, hoc est ex amore gratuito, à quo averti potest peccando. Et quae illud probatur de malo art. 2. in corp. universaliter acceptum Angelorum peccatum non potuisse esse aliquo pertinente ad ordinem naturae. Item art. 1.

ut, s. in resp. ad 10 docet liberum arbitrium Angelorum non esse naturaliter vertibile, quantum ad naturalia sua, sed solum habere vertibilitatem respectu supernaturalium, ad quae potest converti, vel ab eis verti.

Probatur insuper prima pars conclusionis ratione fundamentali. Angelus ex natura sua habet quod sit semper à primo instanti suae productionis in actuali dilectione Dei super omnia, ut auctoris naturae: Ergo & quod sit impeccabilis directè & immediate contra Deum ut ultimum finem naturalem. Consequentia probatur: Primo quia, ut supra dicebamus, peccatum contra Deum ut ultimum finem naturalem commissum, cum dilectione Dei naturali incommensurable est. Secundo, quia principium operationis quod est inseparabiliter conjunctum cum prima regula, quae sumitur tota bonitas moralis, nunquam potest operando peccare, cum non possit deficere à regula; sicut artifex qui haberet sibi inseparabiliter annexam regulam, nunquam posset illa operando deficere: voluntas autem quae semper & necessarîo est in actuali dilectione Dei auctoris naturae, est semper conjuncta regulae bonitatis moralis ordinis naturalis; ultimus enim finis naturalis, est prima regula totius moralitatis ordinis naturalis, cui omnes aliae regulae ejusdem ordinis subordinantur: Ergo &c. Tertio probatur eadem consequentia: Ex eo quod voluntas sit naturaliter determinata ad amorem auctoris naturae, est etiam naturaliter determinata ad volendum omnia alia naturalia, sub ratione formalis ipsius, & in ordine ad ipsum; sicut ex eo quod quilibet voluntas est naturaliter determinata ad bonum ut sic, est etiam naturaliter determinata ad tendendum in omnia sub ratione boni; & sicut voluntas beata, ex eo quod est determinata ad amorem finis supernaturalis, est etiam determinata ad omnia volenda aut tendenda cum subordinatione ad ipsum: Ergo ex determinatione voluntatis angelicae ad dilectionem Dei naturalem, rectè inferitur, Angelum non posse directè & per se primò peccare contra Deum ut ultimum finem naturalem.

Confirmatur: Sicut repugnat quod intellectus sit bene dispositus, & plene instructus circa principia, & tamen erret circa conclusiones; ita etiam ita non potest quod voluntas naturaliter sit recta in ordine ad ultimum finem naturalem, & non sit recta circa omnia media, quae ad ipsum in quantum hujusmodi ordinantur; sicut enim se habent principia ad intellectum in speculabilibus, ita & in operabilibus se habent finis ad voluntatem: Sed voluntas in ordine ad ultimum finem naturalem rectificatur per dilectionem Dei naturalem: Ergo repugnat quod voluntas Angelus sit semper & necessarîo in tali dilectione, & tamen quod circa media, quae ad Deum ut finem naturalem conducunt, deordinetur, & legis naturalis praecepta transgrediatur. Antecedens etiam primi argumenti, in quo praecipue versatur difficultas, praeterquam quod supra disp. 11. sufficienter demonstratum est, potest rursus sic probari. Angelus habet ex natura sua quod sit à primo instanti suae productionis in actuali intentione sui ultimi finis naturalis: Ergo & in dilectione Dei super omnia ut auctoris naturae. Consequentia patet, Antecedens probatur. Angelus habet ex natura sua quod sit à primo instanti suae productionis semper complete potens se movere, & applicare ad volendū

quodcumq; sibi placuerit: Sed hoc non potest verificari, nisi sit semper à primo instanti sui esse in actuali intentione sui ultimi finis naturalis: Ergo &c. Minor est certa: cum enim voluntas angelica non nisi ex intentione finis tendat & moveat se ad alia, scilicet ad media, manifestum est quod non potest dici ex natura sua à primo instanti sui esse complete potens se movere, & applicare ad volendum quidquid vult, nisi ex sua natura sit à primo instanti sui esse semper in actuali intentione sui ultimi finis naturalis. Major verò probatur: Cum Angelus sit substantia intellectualis, media inter Deum, qui ex natura sua semper est in actu secundo, & hominem, qui naturaliter est prius in pura potentia quam in actu primo; ut aliquid participet de utroque extremo, debet esse in actu primo completo, subindeque complete potens ad se movendum ad actus secundos intellectiois & volitionis.

Hae ratio non solum probat Angelum non posse peccare directè contra praecepta purè naturalia, sed nec etiam contra positiva, quae Deus ut auctor naturae posset illi imponere. Nam etiam transgressio illorum praeceptorum, cum actuali dilectione Dei ut auctoris naturae incommensurable est: eò quod ab illo ut ab auctore & ultimo fine naturae non minus avertat, quam violatio praecepti purè naturalis; quod sic ostenditur. Ideò in transgressione praecepti purè naturalis creatura intellectualis avertitur à Deo ut ultimo fine naturae, quia cum tale praeceptum sit à Deo ut auctore naturae, ejus transgressio est aversio ab auctore naturae: Atqui similiter praeceptum omne quod potest Deus pro sua libertate imponere Angelo in ordine ad ultimum finem naturae, est ab ipso tanquam auctore naturae: Ergo similiter ejus transgressio est aversio à Deo ut ab auctore naturae.

Confirmatur: Ex eo quod voluntas Angeli ad naturalem Dei dilectionem determinata sit, est etiam determinata ad volenda omnia media ad illam necessaria; nam ex intentione finis voluntas movetur ad electionem mediorum: Sed observatio praecepti positivi, à Deo, ut auctore naturae impositi, est medium necessarium ad conservandam naturalem ejus dilectionem: Ergo voluntas Angeli ad illam ex natura sua determinata est; eo modo quo Beati ex vi beatificae dilectionis manent determinati ad impletionem quorumlibet praeceptorum, sive naturalium, sive supernaturalium.

Nec valet si dicas, eadem ratione dici posse voluntatem Angeli, ex vi determinationis ad amorem naturalem ultimi finis naturalis, manere etiam determinatam ad non violanda praecepta naturalia indirectè; aliàs non diligeret auctorem naturae super omnia. Respondetur enim quod determinatio ad dilectionem, excludentem violationem indirectam praeceptorum naturalium, debet etiam excludere violationem directam legis supernaturalis; quia lex naturalis non violatur indirectè, nisi ex eo quod primò & directè violatur supernaturalis, ut patebit inferius, probando secundam partem conclusionis: superat autem naturalem Angeli facultatem, esse determinatum ad dilectionem auctoris naturae, excludentem directam transgressionem legis supernaturalis; haec enim determinatio non est nisi à charitate in statu perfecto, in quo est conjuncta lumini gloriae, & visioni beatificae.

Ex his etiam confutata manet responsio

Vazquezii, & aliorum, qui dicunt Angelum posse non attendere ad aliquod præceptum positivum, sibi à Deo ut auctore naturæ impositum; subindeq; ex illius inconsideratione posse peccare. Cum enim consideratio talis præcepti positivi, ad conservandum amorem Dei naturalem necessaria sit; tunc saltem quando urget ejus obligatio, Angelus ad illam ex natura sua determinatus est: unde non potest ex illius præcepti inconsideratione peccare.

26 Probatur secundò prima pars conclusionis: Status naturæ integræ & sanæ, est naturaliter debitus Angelo: Ergo & impeccabilitas directè contra ultimum finem naturalem. Antecedens est certum: per hoc siquidem differt essentialiter Angelus ab homine, quòd quia iste essentialiter componitur ex partibus naturaliter sibi contrariis & adversis (scilicet appetitu sensitivo, & appetitu rationali) integritas naturæ ipsius (quæ consistit in perfecta subordinatione illorum appetituum) non est illi naturaliter debita, solumque ex dono gratiæ illi à Deo confertur: at verò Angelus, ex eo quod sit essentialiter substantia omnino simplex & spiritualis, naturaliter exigit integritatem suæ naturæ. Consequentia verò probatur: quia status naturæ integræ & sanæ omnino repugnat peccatum directè contra ultimum finem naturalem; aliàs posset ejusmodi natura simul esse sana naturaliter, & infirma etiam naturaliter.

27 Denique eadem pars ratione probabili suaderi potest: Nam inter corpora datur aliquod ita perfectum ratione suæ elevationis supra alia (nempe corpus cæleste) ut sit omnino indefectibile in suis operationibus naturalibus: Ergo similiter inter substantias spirituales creatas debet repetiri aliqua ita perfecta, ratione suæ elevationis supra alias substantias spirituales, ut saltem in actionibus naturalibus, immediatè & directè circa finem naturalem versantibus, peccare non possit.

28 Secunda pars conclusionis sequitur ex dictis in prima assertionem. Angelus enim est directè peccabilis contra legem & finem supernaturalem: Sed non potest directè peccare contra legem supernaturalem, nisi indirectè & consequenter peccet contra naturalem: Ergo Angelus contra legem naturalem indirectè & mediatè contra legem naturalem peccare potest. Probatur Minor: Licet finis naturalis, & lex ipsius, non præcipiant aliquid formaliter de supernaturalibus; dicant tamen, hoc ipso quod creatura intellectualis est ordinata ad finem supernaturalem, omnia naturalia esse ad illum ordinanda, hisque utendum esse ut mediis in ordine ad illum: dicant pariter ejus legem esse servandam; unde transgressio directè præcepti supernaturalis, est violatio saltem indirectè legis naturæ, & istius dictaminis naturalis: cuiuscumque legitimè præcipienti in quacumque materia obediendum est: Ergo Angelus contra finem & legem naturalem, indirectè saltem & mediatè peccare potest, peccando scilicet directè contra finem supernaturalem.

§. I V.

Solvuntur objectiones.

29 EX dictis solutum manet præcipuum Adversariorum fundamentum. Dæmones, inquit, quotidie peccant contra legem & finem naturalem; sunt enim mendaces, & hominibus

furta, fornicationes, adulteria, & alia peccata suadent, quæ constat esse contra legem naturalem: Ergo non sunt impeccabiles circa finem & legem naturalem.

Facillè enim respondetur, Dæmones peccata illa facere ex odio Dei auctoris supernaturalis; & rationem formalem in omnibus in quibus Dæmones peccat, esse deordinationem à fine supernaturali: ac proinde per se primò & directè, seu immediatè & formaliter peccare semper contra finem supernaturalem; contra naturalem verò solum quasi materialiter & mediatè, seu indirectè & per accidens: sicut damnari & desperantes indirectè & per accidens appetunt non esse, quod directè & per se appetere non possunt. Quomodum ergo, licet Dæmones aliqua interdum faciant, quæ sunt ex genere suo peccata tantum venialia; sicut cum homines provocant ad risum, vel ad mendacium jocosum, semper tamen peccant mortaliter, propter intentionem quæ hæc faciunt, ut docet D. Thomas 1. 2. quæst. 89. art. 4. ad 3. Ita similiter, licet quædam facere videantur quæ sunt contra legem naturalem, quia tamen hæc faciunt ex odio Dei auctoris supernaturalis, contra finem supernaturalem peccant.

Obijciunt secundò: Peccatum Angelorum, consistit in eo quòd non satis se subjecerunt voluntati Dei: At omnem creaturam debere esse voluntati Dei subiectam, est præceptum legis naturæ, & veritas quæ solo lumine naturali cognosci potest: Ergo Angelus contra legem naturalem peccare potest, & de facto peccavit.

Sed hæc nullius sunt momenti, Major enim facillè distingui potest: Peccatum Angelorū consistit in eo quòd non satis se subjecerunt voluntati Dei, ut auctoris naturæ, nego: ut auctoris finis supernaturalis, concedo. Nam ut docet D. Thomas hic art. 3. Angelus primò peccavit in eo quòd in sua perfectione & beatitudine naturali ut in ultimo fine quievit, eamquæ beatitudinem supernaturalem, quæ erat finis ejus ultimus, non ordinavit: in quo includitur transgressio legis supernaturalis, & averfio à Deo ut auctore & fine supernaturali. Vel etiam dici potest, peccasse, quia beatitudinem supernaturalem, ad quam erat ordinatus, voluit habere ex virtute suæ naturæ, & non ex auxilio gratiæ: quod etiam est legem supernaturalem transgredi, & à Deo ut auctore & fine supernaturali averfio.

Obijciunt tertio: Ex nostra sententia sequitur Angelum posse ex viribus naturæ cognoscere quod datur finis supernaturalis: quia ex viribus naturæ cognoscit se esse peccabilem, idque esse connaturale omni creaturæ ex nihilo productæ; aliunde verò certus esset se esse impeccabilem contra finem naturalem, si hoc haberet ex principis extrinsecis: Ergo cognoscere se esse peccabilem contra finem supernaturalem, atque adeò dari finem supernaturalem.

Sed negatur sequela: ad cujus probationem dico, quòd licet Angelus ex vi luminis naturalis cognoscat se esse impeccabilem directè contra legem & finem naturalem, non tamen scit distinctè & in particulari se esse peccabilem contra legem & finem supernaturalem, sed tantum in communi se esse peccabilem, ignorando circa quid in particulari sit peccabilis: eo modo quòd Dæmon cognoscendo per lumen naturale humanitatem Christi existere in rerum natura sine existentia creata, ignorabat tamen quomodo, & quæ alià existentia in particulari existeret.

Obijciunt ultimò: Si Angelus in puris naturalibus constitutus, non possit peccare contra precepta naturalia, eorum observatio non esset libera, nec subinde meritoria: Sed hoc non est dicendum: Ergo nec illud. Sequela probatur: Angelus esset ad illam observantiam ex natura sua determinatus. Ergo illa non esset ei libera.

Respondeo distinguendo Majorem: Non esset libera, quoad specificationem, & libertate contrarietatis, concedo: quoad exercitium, & libertate contradictionis, nego. Sicut enim Beati liberè amant nos, & ea quæ non habent necessitatem connexionem cum Deo, nec tamen peccare possunt circa talia objecta, sed ad illa necessitatur quoad specificationem: ita similiter Angelus in puris naturalibus constitutus, liberè quoad exercitium operaretur, & necessariò folum quoad specificationem. Licet enim in tali statu non haberet potentiam ad bonum & malum indifferentem, haberet tamen indifferentiam ad hoc vel illud bonum hic & nunc amandum, quia non necessitaretur ad hoc ut semper esset in actuali amore omnis boni in particulari: hinc autem differentiam & libertatem sufficere ad meritum, patet in Christo, in beata Virgine, & aliis Sanctis confirmatis in gratia, qui perfectissime meruerunt, quamvis in illis non esset potentia ad peccandum, & indifferentia ad bonum & malum, nec subinde libertas specificationis & contrarietatis.

A labe segregatos. Unde hac prætermisâ sententia:

Sunt aliqui inter Theologos qui asserunt primum Angelorum peccatum non fuisse quidem luxuriæ corporeæ, ut citati Authores existimant, dicunt tamen eos primum peccasse peccato luxuriæ spiritualis, consistentis in nimia delectatione seu complacencia de seipsis, seu de propria excellentia. Ita Scotus in 2. dist. 6. quest. 2. Alii invidia primum eos esse lapsos existimant, quia nimirum aut hominum generi invidisse volunt, aut eorum Principi & capiti Christo. Valentia verò, & nonnulli alii, censent primum Angelorum peccatum fuisse quidem superbiam, potuisse tamen esse alterius generis aut speciei, puta inobedientiæ. Demum S. Thomas hic artic. 2. quem sequuntur omnes ejus Discipuli, & plures ex Recentioribus, docet in Angelis non fuisse, nec esse potuisse aliud primum peccatum, quam superbiam.

§. I.

Statuitur prima Conclusio.

Dico primò: primum Luciferi peccatum, & dixque cæterorum, fuit superbiam propriè dicta.

Probatür: De actibus liberis Angelorum sentiendum est juxta ea quæ ex Scriptura & ex SS. Patribus habemus; cum enim sint res supernaturales, de se nobis occulta, solum mediante divinâ revelatione, quæ per Scripturam & SS. Patres ad nos derivatur, nobis manifestantur: Sed ex Scriptura & Patribus apertè colligitur, primum Angeli peccatum fuisse superbiam propriè dictam: Ergo ita & non aliter sentiendum nobis est. Major patet, Minor verò ex variis Scripturæ & SS. Patrum testimoniis declaratur. In primis enim Itæ 14. in persona Regis Assyriorum allegoricè describitur peccatum principis Dæmonum: Sed ibi dicitur: *Detrahta est ad inferos superbia tua: quomodo cecidisti de celo Lucifer, qui dicebas in corde tuo, in calum conscendam? &c.* quæ verba manifestè sunt superbiam: Ergo superbiam fuit primum Luciferi peccatum. Item Ezechiel. 28. ubi sub persona Regis Tyri describitur peccatum diaboli, illi dicitur: *Elevatum est cor tuum in devore tuo, &c.* Sed elevatio cordis, superbiam est: Ergo & primum Luciferi peccatum.

Magis litteraliter id probatur aliis Scripturæ testimoniis: primum habetur Lucæ cap. 10. ubi sicut advertit D. Gregorius lib. 23. Moral. cap. 7. ut Christus reprimeret elationem discipulorum gaudientium de eo quòd dæmones illis subijciebantur, dixit: *Videbam Sathanam sicut fulgur de celo cadentem: significans illum propter superbiam cecidisse.* Et Apostolus ad Timotheum 3. ait Neophitum non esse eligendum in Episcopum, *ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli, id est ne damnationem diaboli subeat, imitando ejus superbiam.* Ergo diabolus damnationem subiit propter superbiam. Denique Tobias 4. Tobias dixit filio suo: *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim inirium sumpsit omnis perditio:* Atqui omnis perditio hominum, imò & Angelorum, sumpsit initium à peccato principis dæmonum: Ergo peccatum illius fuit superbiam, quam alii Angeli apostatæ imitati sunt.

Favent etiam SS. Patres, diabolus, ejusque latellites, non alio prius quam superbiam peccato eorū fuisse, passim asserentes. Nazianzenus enim

ARTICULUS II.

Quodnam fuerit primum peccatum Angelorum?

Circa primum Angelorum peccatum variè sentiunt Theologorum sententia. In primis tenent illi qui corpora vel Angelis omnibus, vel dæmonibus assignant, tale peccatum eorum fuisse censent, ut cum orbi huic administrando prepositi essent à Deo, mulierum capti specie, lapsi cum eis consuetudinem habuerint, ac propter talent impietatem & flagitium, è celo dejecti sint. Ita docet Clemens Alexandrinus lib. 2. Pedag. cap. 2. ubi ait quod mali Angeli, *post pulchritudinem reliquerunt, propter pulchritudinem que successit, & propterea è celo delapsos esse.* Et lib. 3. Stromatum: *Angeli quidam (inquit) invenimus à diti, vici cupiditate, hinc è celo deciderunt.* Idem sentit videtur Tertullianus lib. de idolorum cap. 9. ubi malos Angelos vocat, *desertores Dei, amatores fornicationum, & propterea damnatos à Deo esse asserit.* Et in libro de Virginibus venditis, cap. 7. ad Angelos refert illud quod Apostolus ait in ad Corinth. 11. mulieres in Ecclesia debere velari, propter Angelos Dei: ne scilicet earum pulchritudo, illecebra sit Angelis, & eas libidinose amandas: quos (inquit) legimus à Deo è celo excidisse, ob concupiscentiam fornicationum. Unde concludit: *Debet ergo adumbrari factus tam periculosa, quæ usque ad calum scandala jaculantur.* Eadem sententia favete videtur Ambrosius lib. 1. de Virginibus, ubi sic ait: *Quam præclaram autem Angelos propter intemperantiam suam, in seculum excidisse de celo; virginem propter castimoniam in calum transisse de seculo.* Hic error tuse disp. 2. art. 1. confutatus est, ubi enim ostendimus Angelos nulla habere corpora naturaliter sibi unita, sed esse puros spiritus, ab omni materia

orat. 38. dicit primum Angelum, ob splendorem prius appellatum Luciferum, propter superbiam, caliginem effectum esse, & nominatum. Hieronymus in cap. 16. Ezechielis, superbiam, proprium diaboli, primumque peccatum vocat. Ambrosius vel alius Author Epistolæ ad Demetriadem, quæ inter Ambrosianas ponitur: Hæc superbia (inquit) à diabolo sumpsit exordium: qui quoniam suâ, quam à Creatore acceperat potentia & dignitate sibi placuit, seque Authoris sui gloriæ comparavit, cum in Angelis quos in consensum impietatis suæ traxerat, à cœlesti sublimitate dejectus est. Ac subinde: sive itaque in lapsu diaboli, sive in prevaricatione hominis, initium peccati superbia est. Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 87. ait quod Lucifer in veritate non stetit, sed à luce sua superna, quam de Deo habebat, superbia merito abscissus est. Et in Psal. 18. hæc verba Regi Vatis expendens: si mei non fuerint domnati tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo, per delictum maximum, intelligit superbiam, & subdit: Hoc est delictum, quod deiecit Angelum, quod ex Angelo fecit diabolum, eique in æternum interclusit regnum colorum. Prosper lib. 3. de vita contemplativa cap. 3. Superbia ex Angelis demones fecit, humilitas homines sanctis Angelis similes reddit. Denique Bernardus in primo sermone de Adventu: Initium omnis peccati superbia, quæ tam velociter ipsum quoque sideribus cunctis clarius micantem eternâ caligine obtenebravit Luciferum: quæ non modo Angelum, sed Angelorum principem, in diabolum commutavit. Et lib. 1. de anima: Superbia de superioris ad ima precipitat, humilitas ab imis ad alta levat. Angelus è calo in tartara corruit: homo de mundo ad calum ascendit. Item in Tractatu de modo bene vivendi serm. 37. Superbia (inquit) radix omnium malorum: Angelos deposuit, potentes stravit, superbos deiecit. Hinc superbia communiter peccatum demonum appellatur: & Job 42. Lucifer vocatur Rex super omnes filios superbia, eod quod omne sublime videat. Ergo juxta Scripturam, & SS. Patres, primum Angeli peccatum fuit superbia.

38. Et hoc adhuc ex eo maxime suaderi potest, quod peccatum superbia materiam habeat proportionatam naturæ angelicæ: est enim superbia inordinatus excellentiæ appetitus, teste Augustino 14. de civitate cap. 13. & D. Thoma 2. 2. quæst. 162. art. 1. Appetitus autem excellentiæ, ex genere suo est valde spiritalis, ideoque naturæ purè intellectuâli maxime proprius. Unde idem Augustinus lib. 11. de Genesi ad litt. cap. 15. advertit quod non peccavit Angelus, amando pecuniam, nec ex libidine; utpote qui naturam habeat rotius corporis expertem; sed ex inordinato excellentiæ appetitu.

39. Potestque hoc confirmari ex infra dicendis: quia nimirum, ut articulo sequenti ostendemus, primum peccatum Angelorum non fuit aliud quam dilectio proprii boni, propriæque perfectionis & excellentiæ, nempe suæ beatitudinis naturalis, non ordinando illam in Deum ut finem supernaturalem, sed ipsi ut fini ultimo inhærendo: Atque hæc dilectio est amor seu appetitus inordinatus propriæ excellentiæ, ut constat; ut enim talis appetitus sit ordinatus, debet referri in Deum tanquam in ultimum finem supernaturalem: Ergo Angelus primò peccavit ex inordinato propriæ excellentiæ appetitu. Unde Gregorius lib. 34. in Job cap. 17. Ita Deus (inquit) super omnia est, ut ipse sub nullo sit. Leviathan verd iste, ejus celsitudinis culmen aspiciens, jus perverte libertatis appetit, ut præesseret ceteris, & nulli subesseret,

A dicens: Ascendam super altitudinem nubium, & similia ero Altissimo. Cujus eo ipso similitudinem perdidit, quod charitatem ejus imitari debuit, subditus amicus ejus. Celsus nimirum esset, si ei qui veraciter celsus est, inherere voluisset. Celsus esset, si participatione veritatis superbia appetit, jure perdidit participationem. Relicto enim eo, cui debet inherere principio, se sibi sufficere posse judicavit; & tandem magis infra se cecidit, quando magis se contra gloriam sui conditoris exerxit.

B Confirmatur amplius: Nolle subjici Deo ut excellentiori, est peccatum superbiæ propriè dictæ: Sed Angelus amando suum bonum, tanquam excellentiam, cum exclusionem subordinationis ipsius ad Deum ut ad ultimum finem supernaturalem, noluit subjici Deo tanquam excellentiori: Ergo peccato superbiæ propriè dictæ peccavit.

Dices tamen: Peccator in quocumque peccato lethali non vult subjici Deo ut excellentiori, & tamen non ob id peccat peccato superbiæ propriè dictæ: Ergo ex eo quod Angelus in primo tuo peccato noluit subjici Deo ut excellentiori, malè inferimus, tale peccatum fuisse superbiæ propriè dictæ. Consequentia patet. Antecedens probatur. Peccator in quocumque peccato lethali vult inherere sibi tanquam ultimo fini, & averti à Deo: Ergo & illi non subjicit tanquam superiori.

C Confirmatur: Quamvis nolle subjici Deo ut excellentiori, constituat speciale peccatum superbiæ, quando peccator directè & per se illud intendit, non tamen si per se intendat aliquid aliud, ad quod concomitanter & per accidens solum se habeat nohtio talis subjectionis: Sed Angelus primò peccans, per se & directè non intendit hoc quod est nolle subjici Deo ut excellentiori; utpote cum ex una parte non peccaverit primò, eligendo aliquid quod esset malum ex parte rei volitæ; sed quod tantum esset malum ex parte modi appetendi; hoc est non appetendo illud eo modo quo debebat; ex alia vero parte, nolle subjici Deo, per se directè intantum, sit quid malum, non solum ex parte modi appetendi sive volendi, sed etiam ex parte rei volitæ: Ergo fuit Deo subjici renuit, in quantum per se & directè voluit sibi tanquam ultimo fini inherere; quod non constituit specialem rationem peccati superbiæ, sed est conditio sequens omnem peccatum.

Sed contra: Licet peccator in quocumque peccato nolit subjici Deo, cum hac tamen differentia contingit, quod in peccato superbiæ per se, saltem ex parte modi volendi, hoc intendit, in aliis vero peccatis, solum per accidens & ex consequenti: v.g. in peccato luxuria, illud quod peccans per se intendit, non est avertio à Deo, sive nolle subjici illi, sed solum delectatio illa que ex rebus venereis provenit. Unde ad confirmationem dico, quod licet Angelus primò peccando per se ex parte rei volitæ non intenderit averti se à Deo, & non subjicere se illi; ex parte tamen modi volendi seu operandi, per se hoc voluit, saltem virtualiter. Quod ut melius percipiatur,

Diligenter observandum est, non subjicere se Deo ac Deum, duobus modis intendi potest peccatore: per se & formaliter, & per accidens tantum ac materialiter: per se dicitur intendi in peccato superbiæ propriè dictæ: per accidens in omni.

omnibus aliis peccatis mortalibus, quatenus
 felicitate in illis vult aliquod objectum malum,
 verbo gratia in peccato luxurie rem veneream
 sub ratione delectabilis, ad cuius volitionem per
 accidens voluta est non subiectio ad Deum, ex eo
 quod sit conjuncta cum predicto objecto, ut
 quod illatum ex ipso. Rursus non subjectionem
 ad Deum per se intendi, sicut dupliciter: primo
 formaliter ex parte rei voluta, & in actu signato,
 cum nimirum hoc quod est Deo non subijci, est
 res principaliter voluta, vel ejus modus expressè
 volutus: secundò virtualiter sive interpretativè
 tantum, & in actu exercito, in quantum scilicet
 aliquis vult objectum ex se honestum, & rationi
 regulæ divinæ consonum: attamen sic se habet
 in modo volendi, ac si vellet non subijci Deo,
 quatenus nimirum non curat de apponendo in
 illis actu, quo vult predictum objectum hone-
 stum, illum modum quem præscribit divina re-
 gula, propterea enim virtualiter & interpretati-
 ve censetur velle ex parte modi volendi non sub-
 ijci Deo, nec divinæ regulæ. Porò hoc secundo
 modo præcise, non verò primo, Angelus in pri-
 mo peccato voluit non subijci Deo, appe-
 tendo scilicet bonum rationi consonum & val-
 de excellens, nempe suam beatitudinem natura-
 lem, inordinato tamen modo, quatenus noluit
 accedere ad mensuram sibi à Deo in tali dile-
 ctione taxatam, ratione cuius, & se, & prædi-
 ctam beatitudinem excellentiori alteri fini,
 nempe Deo, ut est objectum beatitudinis super-
 naturalis, debebat subijcere.

Denique probatur conclusio, convellendo
 præcipuum Scoti fundamentum. Idè Scotus
 ponit Angelum primò non peccasse peccato su-
 perbiae, sed luxurie spiritualis: quia inordinatè
 libi concupivit bonum spirituale delectabile,
 nempe suam beatitudinem naturalem, cuius app-
 etitus, inquit, pertinet ad speciem luxurie spi-
 ritualis; quia licet cupiditas inordinata boni de-
 lectabilis corporalis, constituit speciem luxurie
 corporalis; ita appetitus inordinatus boni spi-
 ritualis summè delectabilis, constituit speciem lu-
 xurie spiritualis. Probatur, inquam, ultimo con-
 clusio, destruendo hoc frivolum & levissimum
 fundamentum: Primò quia inordinatus delecta-
 tionis affectus nò solum invenitur in luxuria, sed
 etiam in gula, aliisque similibus intemperanti-
 bus. Ergo dato quòd primum Angeli peccatum
 consisteret in deordinato delectationis affectu
 circa propriam excellentiam, non idè magis
 luxuria quàm gula spiritualis dici deberet.

Secundò, si amor concupiscentiæ quo Angelus
 beatitudinem naturalem inordinatè concupi-
 vit, esset luxuria spiritualis, sequeretur manifestè
 quòd quando aliquis inordinatè vult sibi divi-
 tias, vel cibos, vel honores, deberet poni in tali
 actu duplex deformitas, una pertinens ad spe-
 ciem avaritiæ, vel gulæ, vel superbiæ, & altera
 ad speciem luxurie spiritualis; unde teneretur
 quis confiteri se commississe peccatum luxurie
 spiritualis. Sed hæc absurda sunt, & à communi
 Theologorum sensu penitus aliena: Ergo &c.

Tertio, inordinata cupiditas cuiuscumque
 delectabilis, pertinet ad idem vitium, quòd ha-
 bet respicere per se primò tale delectabile; v.g.
 delectari inordinatè in cibis, pertinet ad gulam;
 in veneratione, ad luxuriam; in honoribus, ad su-
 perbiam; sicut etiam in virtutibus, delectari de
 aliquo objecto, pertinet ad illam virtutem, quæ
 per se primò habet respicere tale objectum: Er-

go non pertinet ad luxuriam spirituales, tan-
 quam ad particulare vitium ab aliis distinctum.
 Probatur Antecedens: quia bonum delectabile
 non est bonum per se primò sub ratione delecta-
 bilis volitum: delectatio enim est quid conse-
 quens ad possessionem boni convenientis, cum
 sit quies in bono convenienti; unde fit quòd
 omnis habitus respiciens aliquod objectum tan-
 quam sibi convenientis, quando illud attingit,
 faciat delectationem: Ergo complacere sibi, aut
 delectari inordinatè in propria perfectione, aut
 inordinatè concupiscere delectationem quæ
 consequitur ad propriam beatitudinem, non
 constituit speciale peccatum luxurie spiritua-
 lis, sed pertinens ad illud idem vitium, cuius est
 inordinatè velle suam celsitudinem & excellen-
 tiam, scilicet ad vitium superbiæ. Quare magis
 adhuc absurdum est quòd ait Scotus, nempe de-
 lectationem inordinatam in contemplatione
 unius conclusionis Geometriæ, esse in nobis
 actum luxurie spiritualis: est enim ad summum
 actum curiositatis, & peccatum veniale.

§. II.

Statuitur secunda Conclusio.

Dico secundo, primum Angelorum pecca-
 tum non posse esse aliud quàm superbiæ
 propriè dictæ.

C Probatur conclusio hoc discursu: Omnia
 peccata vel sunt peccata commissiohis, vel om-
 missionis; peccata autem commissiohis vel sunt
 actus prosecutionis, vel fuga seu recessus; &
 rursus peccata quæ sunt actus prosecutionis, vel
 sunt circa bona corporalia, vel circa spiritualia:
 Sed primum Angelorum peccatum non potest
 esse peccatum omissionis, neque actus per mo-
 dum fugæ, nec prosecutio bonorum corpora-
 lium: Ergo solum potest esse prosecutio bono-
 rum spiritualium: At hoc supposito non potest
 esse aliud quàm peccatum superbiæ propriè dic-
 tæ: Ergo primum Angelorum peccatum non
 potest esse aliud quàm superbia Major patet:
 prima autem Minor, quantum ad singulas par-
 tes, declaratur. Et in primis quòd primum An-
 gelorum peccatum non possit esse purè omisso-
 nis, sic ostenditur. Ut ommissio sit peccaminosa,
 debet esse voluntaria, seu volita directè vel in-
 directè, seu interpretativè; & quidem, vel per
 modum finis ultimi, vel tanquam medium ad
 finem ultimum ordinatum: Sed neutro modo
 fuit volita ommissio ab Angelo, dum primo pec-
 cavit: Ergo nullo: Ergo non peccavit per puram
 omissionem. Major est certa, Minor probatur.
 Et in primis non potest dici, omissionem esse vo-
 litam ab Angelo per modum finis ultimi; quia
 ommissio de se est negatio, vel privatio, unde ut
 sit appetibilis, debet necessariò vestiri aliquo
 bono apparenti, & aliquo fine: si autem dicatur
 volita ut medium, aut finis intermedius in or-
 dine ad ulteriorem finem, jam supponet finem
 ultimum prius volitum, finem, inquam, ulti-
 mum malum, ac Deo oppositum; quia ommissio
 peccaminosa, cum non sit referibilis in Deum,
 non potest amari in ordine ad Deum ut finem
 ultimum: Ergo non fuit primò volita, sed sup-
 ponit primum peccatum Angeli fuisse volitio-
 nem deordinatam circa solum ultimum finem,
 in ordine ad quem volita est ipsa ommissio.

Confirmatur: Solum potest dubitari de illa
 omissionem quàm Angelus amavit suam beatitudi-
 nem naturalem, non ordinando illam ad super-
 natura-



naturalem, utrum potuerit esse primum peccatum Angeli? Sed peccatum hoc non est omissionis, sed commissionis: Ergo primum Angeli peccatum non potuit esse omissionis, sed tantum commissionis. Major probatur: quia primum actus qui reperitur in Angelo est prædicta dilectio, utpote necessaria quoad exercitium & specificationem, & constituens Angelum in actu primo ad se movendum circa alia, ut antea declaratum est; aliunde verò præceptum quod primo obligavit Angelum, est præceptum negativum, quo tenebatur prædictum actum non elicere, nisi cum ordinatione ad finem supernaturalem. Minor etiam suadetur: Tum quia transgressio præcepti negativi, est peccatum commissionis, non verò omissionis: Tum etiam quia actus positivus inordinatus ex omissione alicujus circumstantiæ illi debita, verbi gratiâ celebrare Missam sine vestibus sacris, aut orare sine attentione, non est peccatum omissionis, sed commissionis: Atqui dilectio illa quâ Angelus se suamque beatitudinem naturalem diligit, est actus positivus, inordinatus ex omissione alicujus circumstantiæ quam tenetur illi adhibere, scilicet subjectionis & ordinationis ad Deum ut ultimum finem supernaturalem, quæ est mensura seu modus servandus in dilectione propriæ excellentiæ, ad hoc ut sit ordinata & non peccaminosa: Ergo illa non potest esse peccatum omissionis, sed commissionis.

48. Explicatur & urgetur amplius: Peccatum omissionis dicit carentiam alicujus actus specialiter præcepti: Sed in eo quod est Angelum diligere seipsum, & suam beatitudinem naturalem, sine ordinatione in finem supernaturalem, non importatur formaliter carentia alicujus actus specialiter præcepti, sed potius actus positivus cum mala circumstantia, hoc est cum carentia circumstantiæ bonæ, sine qua prohibetur exerceri ab Angelo: Ergo in hoc non est peccatum omissionis, sed commissionis.

49. Quod autem primum Angelorum peccatum, non possit esse actus per modum fugæ & recessus, ut dicitur in secunda parte Minoris primi argumenti, manifestum est: quia omnis actus nolitionis & fugæ, supponit actum volitionis; nam cum nolitio & fuga respiciant objectum repugnans & disconveniens; nihil autem dicitur disconveniens, nisi per ordinem ad conveniens, quia nimirum vel est læsivum vel impeditivum convenientis; fit ut nunquam disconveniens fugiatur, nisi quia amatur conveniens, & consequenter fugam inordinatam disconvenientis, semper præcedit amor inordinatus convenientis: Ergo primum Angelorum peccatum, non potest esse actus per modum fugæ alicujus disconvenientis, sed necessario debet esse persecutio alicujus boni eorum naturæ convenientis.

50. Ex quo probatur tertia pars ejusdem Minoris principalis, quæ asserit primum Angelorum peccatum non potuisse esse persecutionem bonorum corporaliū; quia ut ait D. Thomas art. 2. hujus questionis, nihil afficitur nisi ad id quod est consonum & proportionatum suæ naturæ: Atqui non bona corporalia, sed sola bona spiritualia, sunt proportionata naturæ angelicæ: Ergo primum peccatum Angelorum, non potuit esse persecutio inordinata bonorum corporaliū, sed solum persecutio inordinata bonorum spiritualium.

51. Confirmatur: Eodem modo se habet appeti-

A tus intellectualis in Angelis, quo sensitivus in animalibus: Sed appetitus sensitivus non potest affici nisi ad bonum sensibile: ergo nec appetitus Angelorum, nisi ad bonum intellectuale. Unde idem S. Doctor ibidem observat, quod licet omnia peccata, etiam carnalia, possint esse in dæmonibus causaliter, & secundum reatum, quatenus ad illa homines inducunt, non tamen formaliter & secundum affectum, non tamen nem assignat Cajetanus: quia peccatum luxurie v.g. non reperitur formaliter nisi in eo qui per seipsum immediatè potest actum venereum consummare; quod Angelo est impossibile, quia est formaliter operatio vitæ animalis, quæ caret Angelus: unde peccatum illud, quod committunt dæmones inducendo homines ad luxuriam, vel dum in corpore assumpto sunt incubi aut succubi, non est ejusdem speciei formaliter, cum peccato hominis luxuriosi, sed causaliter tantum.

Quod autem supposito quod primum Angelorum peccatum non possit esse aliud, quam inordinatus affectus circa spiritualia illis proportionata, sequatur hujusmodi inordinatus affectus debere esse actum superbiæ propriè dictæ, inno D. Thomæ manifestè demonstrat: quia in effectu persecutionis bonorum spiritualium, non potest esse peccatum, nisi per hoc quod in eolterioris regula non servatur: Sed non subdignulæ superioris, est peccatum superbiæ: Ergo in affectu persecutionis bonorum spiritualium, non potest esse nisi peccatum superbiæ. Major probatur: quia bona spiritualia quanto sunt meliora, tanto sunt meliora, & ideo non possunt minus amari absolute; unde si in eorum amore sit excessus, oportet necessariò quod proveniat ex eo quod superioris regula non servetur.

Dices cum Vazque, ex hac ratione Divi Thomæ sequi primum Angelorum peccatum debuisse esse potius peccatum inobedienciæ, quam superbiæ: siquidem velle non subijci regulæ superioris, est propriè peccatum inobedienciæ, non verò superbiæ.

Respondeo quod velle per se non subijci divinæ legi, pertinet ad duo vitia, scilicet ad superbiām, & ad inobedienciām; cum hoc tamen discrimine, quod ad inobedienciām pertinet per modum fugæ & recessus, & quatenus formaliter lex divina habet rationem legis à Deo ut supremo legislatore dimanantis; ad superbiā verò pertinet per modum persecutionis, & quatenus lex divina non habet formaliter rationem legis, sed regulæ dignitatis & excellentiæ creaturæ, à Deo ut excellentissimo, & singulis suis excellentiis cum mensura distribuentem, dimanantis. Hujus rationem assignat Cajetanus 2. 2. quæst. 162. art. 1. sicut enim est proprium obedientiæ velle subjectionem ad divinam legem, ut formaliter est lex à supremo legislatore procedens; ita est proprium inobedienciæ nolle subjectionem ad illam, & ad Deum ut supremum legislatorem. Similiter sicut est proprium humilitatis moderari appetitum tendentem in excelsa, apponendo illi modum subjectionis ad divinam legem, ut formaliter est regula illius; ita est proprium superbiæ apponere immoderantiam hujusmodi appetitui, & non subjectionem ad divinam legem, ut formaliter habet rationem mensuræ & regulæ propriæ dignitatis & excellentiæ. Quædo ergo D. Thomas ait quod non subijci regulæ superioris est peccatum superbiæ, intelligendus est de non subjectione ad legem, non ut formaliter habet rationem

E

nem legis precipientis vel prohibentis aliquem actum (sic enim non velle subijci legi est actus inobedientie) sed denon subiectione ad legem divinam, ut est regula & mensura dignitatis & excellentie omnium creaturarum; qua ratione nolle subijci legi divinae, est actus superbiae proprie dictae.

S. III.

Corollaria precedentis doctrine.

Ex dictis inferes primò contra Valentiam, primum Angelorum peccatum non fuisse, nec esse potuisse actum inobedientie. Ut enim supra ostendimus, primum Angelorum peccatum non potuit esse actus inordinatus per modum fugae & recessus, sed debuit necessariò esse inordinata profectio; eò quòd omnis fuga mali sit ex amore alicujus boni, & ita nolitio & fuga deordinata, debet supponere volitionem deordinatam: inobedientia autem, ut diximus, respicit divinam legem, per modum fugae & recessus ab illa. Ergo primum Angelorum peccatum, nec fuit, nec esse potuit actus inobedientie.

Nec valet si dicas cum Valentia, quòd quamvis actus nolitiois deordinatus possit presupponere volitionem deordinatam, non tamen necessariò, sed potest etiam presupponere bonam, ut patet in eo qui vult non obedire quia vult orare. Non valet, inquam, nam praeterquam quòd hoc est falsum; quia quando quis tenetur obedire alicui praecepto, peccat volendo pro tunc aliquid aliud quantumcumque; aliàs de se honestum, cujusmodi est oratio; ex eo quòd recta ratio dicitur bonum etiam de se honestum non esse profectendum, quando aliquid aliud impossibile est peragendum. Ad id adhuc potest, Angelum non posse deordinari circa media, seu in electione, aut fuga alicujus ad consequendum finem, nisi prius deordinetur circa finem; quia debet incipere peccare a fine.

Inferes secundo, primum Angelorum peccatum non potuisse esse odij, vel desperationis, aut injuriae: quia scilicet odium & desperatio pertinent ad quandam fugam voluntatis, attingens obiectum ut disconveniens & nocivum; injuria verò non versatur circa obiectum quantum est de se moraliter bonum, sed circa malum, eò quòd supponit errorem intellectu, per quem sequitur; in intellectu verò Angeli non potest esse error ante primum peccatum, ut infra patebit. Ergo &c.

Inferes tertio, primum Angelorum peccatum non fuisse invidiam: quia ut dicitur D. Thomas in 2. dist. 3. quest. 1. art. 3. ad 2. Invidia est dolor animi propter alium, in quantum est impedimentum boni proprii. Divina autem felicitas non est impedimentum boni proprii, nisi quòd inordinatè desideratur; quia ab eo omne bonum descendit: & ita odium & invidia (loquitur de utroque) simul presupponunt aliud peccatum, per quòd voluntas deordinatur. Et sic non fuit peccatum ejus (scilicet Angeli) odij vel invidiae.

Nec obstat illud Basilij homilia de invidia: quod enim principem malorum Daemonum ad bellum invadit? nonne invidia, per quam Dei adversarius deprecatus fuit? Nam per hoc solum intendit malum Angelos, eum essent in via, peccasse peccatum invidiae: quia ait D. Thomas hic art. 2. post peccatum superbiae, consecutum est in Angelo peccatum invidiae. Invidiam quippe (teste Augusti-

Tom. II.

no) superbia continuo parit, nec unquam est sine tali prole atque comite. Unde idem S. Doctor lib. de Genesi ad litteram cap. 14. de Angelo peccante haec scribit: Nonnulli dicunt ipsum ei suscipere casum à supernis sedibus, quòd inviderit homini factò ad imaginem Dei. Porro haec invidia sequitur superbiam, non praecedit. Non enim causa superbendi est invidentia, sed causa invidendi superbia. Cum igitur superbia sit amor excellentiae propriae, invidia verò sit odium felicitatis alienae, quòd inde nascatur satis in promptu est. Amando enim quisque excellentiam suam, vel paribus invidet, quòd ei coaequantur; vel inferioribus, ne sibi coaequantur: vel superioribus, quòd eis non coaequantur. Superbendo igitur invidus, non invidendo quisque superbus est. Merito initium omnis peccati superbiae scriptura definit, dicens: initium omnis peccati superbia. Similiter Leo Papa Serm. 4. de Collectis, prius superbia quam invidiam deliquisse Sathanam asserit. Primum (inquit) superbus, ut caderet; deinde invidus noceret, &c.

Lib. de sancta virginitate. c. 31.

S. IV.

Solvuntur objectiones.

Contra precedentibus conclusionibus objicit primò Scotus: Peccatum superbiae proprie dictae consistit solum in appetitu deordinato propriae excellentiae relatae ad alios, cum scilicet aliquis vult alijs praeesse, eosque regulare: Sed primus Angelus non peccavit ex eo quòd voluerit alijs praeesse eosque regulare: Ergo non primò peccavit peccato superbiae proprie dictae.

Respondeo negando Majorem: nam ex quatuor speciebus superbiae, quas D. Thomas 2. 2. quest. 162. art. 4. refert ex Gregorio, tres primae nihil dicunt de excellentia relativa, sed tantum quarta: & Augustinus 14. de civit. definit superbiam, per celsitudinem, quae est quid absolute, & alibi per excellentiam, quae potest sumi relative. Unde obiectum superbiae, in tota sua latitudine accepta, non est excellentia relativa, sed excellentia communiter se habens ad absolutam & relativam.

Objicit secundo: Peccatum superbiae est appetitus inordinatus propriae excellentiae: Sed primum Angelorum peccatum non potuit consistere in tali appetitu: Ergo neque in actu superbiae. Minor probatur: Appetitus inordinatus propriae excellentiae, est ordinatus amor concupiscentiae sui ipsius: Sed inordinatus amor concupiscentiae, praesupponit necessariò inordinatum amorem amicitiae: Ergo primum Angelorum peccatum, non potuit consistere in appetitu inordinato propriae excellentiae.

Respondeo concessa Majori, negando Minorem. Ad cujus probationem, dico, inordinatum appetitum propriae excellentiae non esse solum amorem concupiscentiae, sed etiam amicitiae: nam cum amare sit velle bonum alicui, non potest esse amor concupiscentiae, qui non sit etiam amicitiae, neque e contra; siquidem quatenus amor respicit bonum, quòd cumque illud sit, est amor concupiscentiae; ex eo quòd praedictum bonum, est id quòd concupiscitur, quatenus verò respicit subjectum cui vult illud bonum, sive sit distinctum, sive non, est amor amicitiae, quia praedicta persona est id cui volu-

amus illud bonum, Cum verò additur, quòd inordinatus amor concupiscentiæ præsupponit necessariò inordinatum amorem amicitiae, respondendum est, hoc esse verum, non de reali & formali præsuppositione, sed de virtuali tantum, & adhuc in aliquo certo genere causæ, scilicet in genere finis cui; sicut etiam idem amor amicitiae præsupponit necessariò, non præsuppositione reali, sed virtuali, amorem concupiscentiæ: unde non est necessarium, quòd duo illi amores distinguantur realiter, sed solum quoad terminationem ad diversa objecta.

62. Objicitur tertio: Peccatum superbiæ specialiter dictæ, in eo solum consistit, quòd quis appetat quod non est sibi debitum, & quod non potest proprijs viribus adipisci: Sed Angelus in primo peccato non appetit aliquid quod non esset sibi debitum, & quod non posset proprijs viribus adipisci: Ergo non peccavit peccato superbiæ specialiter dictæ. Minor videtur certa: nam, ut dicemus articulo sequenti, Angelus primò appetit suam beatitudinem naturalem, quæ connaturaliter est ei debita, & quam proinde potest proprijs viribus adipisci, imò illam actu possidebat antequam peccaret, & tamen peccavit inordinatè illam appetendo. Major verò suadetur: quia cum superbie idem sonet ac *super se ire*, superbus tantum ille dicitur proprie, qui appetit extolli supra se; quod non contingit nisi appetat aliquid quod non sit sibi debitum, nec ex proprijs viribus, acquisibile.

63. Respondeo negando Majorem: peccatum enim superbiæ non tantum in hoc consistit, quòd quis appetat id quod non est sibi debitum, sed etiam in eo quòd inordinatè propriam excellentiam & perfectionem sibi debitam intendat, sive quòd erga illam afficiatur, præter aut contra mensuram sibi à superiore præfixam: sic enim est nolle subijci superiori, ac illum spernentioribus Suarez, Vazquez, & Beccanus in præfenti. Alij dicunt peccasse appetendo unionem hypostaticam, ut Viguierus, Jacobus de Valentia; vel nolendo subijci Christo, illumque ut dominum recognoscere. Quem dicens in modum sequuntur Melchior Flavius in libro derogno Christi cap. 6. & Jacobus Naclantus traditione quarta Theologica. Sunt etiam qui existimant Luciferum per superbiam peccasse, id quòd tyrannicum principatum, sive potestatem aliquam in alios Angelos cæterisq; creaturas sibi non debitam appetierit, volendo verbi gratia omnia dona, quæ à Deo in alias creaturas derivantur, mediante ipso in illas derivari, vel appetendo cæteras alias creaturas intellectuales teneri ipsi ad nutum obedire tanquam domino & principi. Deniq; Discipuli Divi Thomæ communitè docent, beatitudinem naturalem fuisse objectum excellens circa quod Angelus primò deliquit, inordinato modo eam diligendo, & non juxta regulam & mensuram præfixam à Deo, id est non ordinando illam in beatitudinem supernaturalem, nec subdendo eam Deo ut Authori supernaturali, & objecto beatitudinis supernaturalis longè excellentioris: hæc enim ordinatio & subjectio erat mensura & regula illa taxata à Deo in prosecutione beatitudinis naturalis & propriæ excellentiæ. Addunt aliqui Angelum non solum peccasse circa beatitudinem naturalem, sed etiam circa supernaturalem, illam per modum complementi aut quali complementi fuit beatitudinis naturalis, proprijs viribus

ARTICULUS II.

Quodnam fuerit objectum excellens circa quod Angelus primò superbiit?

§. I.

Quibusdam præmissis, referuntur sententia.

Luciferum ex inordinato sublimitatis appetitu è caelo corruisse, ex supra dictis aperte constat: quæ verò illa fuerit altitudo, qualisve excellentia quam appetit, tam varia sunt Theologorum placita, ut tot ferè sint sententiæ, quot capita. Ut autem tanta opinionum diversitas in aliquem ordinem redigatur.

64. Præsupponendum est cum D. Thoma hic art. 3. Diabolum de facto appetuisse esset ut Deum: hoc enim formaliter in Scriptura habetur, ut patet ex illo Isaie 14. *Ascendam in caelum, similis ero Altissimo*: & ex illo Ezechiel 28. *Elevatum est cor tuum; & dixisti, Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi in corde maris*. Unde Angustinus in libro de quæstionibus veteris testamenti, ait Diabolum elatione inflatum, voluisse esse ut Deum. Quod eleganter expressit Naziahzenus, his versibus:

*Lucifer (eximio nam cum fruere honoris)
Sperabat regale Dei soliumq; decusq;
Dum Deus esse cupit, terra caligine totus
Obtrusus est:*

Quo autem pacto Lucifer voluerit esse ut Deus, non levis difficultas est: pro cuius declaratione.

Observandum est rursus cum D. Thoma, duobus modis intelligi posse, Diabolum appetuisse esse ut Deum, scilicet per æquiparantiam, & per similitudinem: rursus verò per æquiparantiam potest dupliciter intelligi, scilicet appetendo æqualitatem cum Deo absolute, vel cum Deo homine, sive incarnato, volendo sibi unionem hypostaticam ad aliquam personam divinam, sicut sciebat per revelationem venientiam fore Verbo naturam humanam. Similiter etiam appetere esse ut Deum per similitudinem, contingit dupliciter, scilicet appetendo ei assimilari quoad id in quo creatura intellectualis nata est ei assimilari, nempe secundum dona gratiæ & gloriæ; & in hoc peccare non potuit Lucifer, nisi illam similitudinem appet erit, ut non habenti à Deo, sed ex propria virtute, & secundum iustitiam: secundò volendo ei assimilari in eo in quo creatura non est nata illi assimilari; & hæc similitudo potest attendi secundum multa, scilicet secundum negationem subordinationis & dependentiæ ab alio superiori; secundum dominium absolutum supra alias creaturas intellectuales; & secundum quòd ipse est sibi sufficiens bonum, nec in ulteriore finem ordinatur.

Hinc ortum habuit opinionum diversitas inter Theologos. Quidam enim sentent, Angelum peccasse appetendo æqualitatem cum Deo absolute. Ita docent ex antiquis Hugo 28. Viote in summa tract. 2. cap. 4. ubi ait: *Lucifer similis esse voluit Altissimo, non per imitationem, sed per æqualitatem*: Scotus in 2. dist. 6. quaest. 1. & excellentioribus Suarez, Vazquez, & Beccanus in præfenti. Alij dicunt peccasse appetendo unionem hypostaticam, ut Viguierus, Jacobus de Valentia; vel nolendo subijci Christo, illumque ut dominum recognoscere. Quem dicens in modum sequuntur Melchior Flavius in libro derogno Christi cap. 6. & Jacobus Naclantus traditione quarta Theologica. Sunt etiam qui existimant Luciferum per superbiam peccasse, id quòd tyrannicum principatum, sive potestatem aliquam in alios Angelos cæterisq; creaturas sibi non debitam appetierit, volendo verbi gratia omnia dona, quæ à Deo in alias creaturas derivantur, mediante ipso in illas derivari, vel appetendo cæteras alias creaturas intellectuales teneri ipsi ad nutum obedire tanquam domino & principi. Deniq; Discipuli Divi Thomæ communitè docent, beatitudinem naturalem fuisse objectum excellens circa quod Angelus primò deliquit, inordinato modo eam diligendo, & non juxta regulam & mensuram præfixam à Deo, id est non ordinando illam in beatitudinem supernaturalem, nec subdendo eam Deo ut Authori supernaturali, & objecto beatitudinis supernaturalis longè excellentioris: hæc enim ordinatio & subjectio erat mensura & regula illa taxata à Deo in prosecutione beatitudinis naturalis & propriæ excellentiæ. Addunt aliqui Angelum non solum peccasse circa beatitudinem naturalem, sed etiam circa supernaturalem, illam per modum complementi aut quali complementi fuit beatitudinis naturalis, proprijs viribus

in quibus acquirendi secundario appetendo: imò
Joannes à S. Thoma asserit non esse improbabile,
quod primò peccaverit circa beatitudinem
naturalem, & circa supernaturalem, & etiam
circa unionem hypostaticam.

§. II.

Primus dicendi modus refellitur.

Dico primò: Objectum excellens, in cuius
appetitione Angelus primò superbit, nec
sunt, nec esse potuit, omnimoda æqualitas cum
Deo in natura. Ita expressè S. Doctor hæc art. 3.
q. 2. dist. 5. quæst. 1. art. 2. & quæst. 16. de
maio art. 3.

Probatur primò ex D. Anselmo lib. de casu
Diaboli cap. 4. ubi docet Angelum peccasse, ap-
petendo illud ad quod pervenisset, si stetitset:
patet autem quod non pervenisset ad omnimo-
dam æqualitatem cum Deo: Ergo non peccavit
illam appetendo. Unde ibidem ait: *Si Deus cogi-
tari non potest, nisi tam solus ut nihil illi simile cogitari
possit, quomodo potuit Diabolus velle quod non potuit
cogitare: non enim ita obtuse mentis erat, ut nihil a-
liud simile Deo cogitari posse nesciret.* Nec valet
quod respondet Vazquez, nempe D. Anselmum
non loqui in propria persona, sed in persona di-
scipuli quem ibi inducit. Non valet, inquam,
quia licet hoc ita sit, eo ipso tamen quod D. An-
selmus hoc dictum in persona discipuli non re-
peterit, sed potius modum alium, quo Diabo-
lus superbit potuit, statim assignaverit, satis in-
dicatur rationem illam in discipuli persona fa-
ctam, à magistro tacite approbatam fuisse.

Probatur secundò ratione desumptâ ex locis
S. Thomæ citatis, quæ potest ad hanc formam
judici. Diabolus non potuit appetere omnimo-
dam æqualitatem cum Deo: Ergo primum ejus
peccatum, nec fuit, nec esse potuit, appetitus ta-
ntæ æqualitatis. Consequentia patet, probatur
antecegens. Nullus potest appetere id quod
non potest apprehendere ut possibile: Sed Dia-
bolus non potuit apprehendere ut possibilem
omnimodam æqualitatem cum Deo: Ergo nec
eum appetere. Major videtur certa: objectum
cum voluntatis est bonum & conveniens: illud
autem quod non potest apprehendi ut possibile,
non potest apprehendi ut bonum & conveniens;
cum prima radix appetibilitatis & convenientiæ
sit possibilitas, siquidem tantum aliquid dici-
tur bonum, in quantum est existens, aut dicit or-
dinem ad existentiam. Minor etiam non est mi-
nus evidens: Cum enim Angelus seipsum perfe-
ctè comprehendat, cognoscit se esse ens creatum
per participationem, & nullum ens per parti-
cipationem posse esse ejusdem naturæ cum ente
per essentiam: subindeque non potuit Diabolus
apprehendere ut possibilem omnimodam sui
æqualitatem cum Deo in natura; maxime cum
ante primum ipsius peccatum, nullus præcesse-
ret error in intellectu ejus, ratione cujus eligeret
impossibile, sicut in nobis interdum accidit.

Respondet primò Vazquez, quod licet Dia-
bolus non potuerit habere actum judicii, quo
judicaret esse sibi possibilem æqualitatem cum
Deo, potuit tamen per simplicem apprehensio-
nem in qua non est veritas vel falsitas, nec con-
sequenter error) eam apprehendere per modum
possibilis & convenientis, subindeque eam ap-
petere.

Sed contra primò: Falsum est voluntatem

A posse moveri & regulari per simplicem apprehensionem, in actibus saltem liberis, sed ad hoc
necessariò requiritur judicium intellectus; quia
ad movendam voluntatem circa prosecutionem
alicujus objecti, non sufficit quod tale objectum
proponatur illi ut bonum absolute & secundum
se, sed requiritur insuper quod proponatur ut
conveniens ipsi voluntati, sive volenti, subindeque
quod interveniat in intellectu collatio illius
cum volente, & volentis cum tali bono: quod
sine judicio esse non posse, ex ipsis terminis
constat.

B Confirmatur & magis illustratur hæc ratio.
Licet in brutis æstimativa simplici apprehensio-
ne proponat appetitui objectum sub ratione con-
venientis aut disconvenientis; quia hoc facit
non ex vi perfectionis sue cognitionis, attingen-
tis rationes propter quas habet objectum esse
conveniens, vel disconveniens, sed ex instinctu
naturæ, illam determinantis ad proponendum
objectum præcisè sub ratione convenientis. si
sit conveniens, aut sub ratione disconvenientis,
si fuerit disconveniens: intellectus tamen, qui
non habet ex instinctu naturæ proponere obje-
ctum ut conveniens aut disconveniens, sed ex
perfectione suæ cognitionis, quæ percipit ha-
bitudinem convenientiæ aut disconvenientiæ
objecti ad id cui est vel non est conveniens, pon-
derando rationes quibus redditur conveniens
aut disconveniens, nequit per simplicem apprehensionem, talis ponderationis rationum incapacem, sed solum per compositionem, subindeque
per judicium saltem virtuale, proponere obje-
ctum ut conveniens. Dixi in actibus saltem liberis:
quia in motibus indeliberatis, & qui non sunt
proprie hominis ut homo est, voluntas mo-
vetur ex simplici apprehensione convenientis aut
disconvenientis: quamvis adhuc aliqui contenda-
nt hujusmodi actus indeliberatos præsuppone-
re aliquod judicium intellectus ipsis propor-
tionatum, subitanæ scilicet & indeliberata-
rum; de quo videri potest Cajetanus 1. 2. quæst.
77. art. 2.

C Adde quòd, si simplex objecti propositio, in
quo non est veritas aut falsitas, sufficeret ad mo-
vendam voluntatem Angeli, sequeretur quòd
posset odio habere, aut nolle beatitudinem in
communi, si nimirum apprehenderetur ab ipso
per modum mali: si enim, ut volunt Aversarij,
potest Angelus apprehendere omnino impossi-
bile, per modum possibilis, cur non poterit ap-
prehendere omnino bonum (cujusmodi est bea-
tudo in communi) per modum mali: Conse-
quens autem est falsum: nam aliàs non neces-
sitareretur voluntas, quoad specificationem, à bea-
titudine, & à bono in communi, cujus oppo-
situm docet S. Thomas 1. 2. quæst. 10. art. 2. &
communiter Theologi cum illo: Ergo, &c.

D Denique subita apprehensio omnimodæ æqua-
latis cum Deo, ut possibilis & convenientis,
non potest compati in Angelo ante primum
peccatum, cum cognitione comprehensiva sui,
quæ videbat sibi esse omnino impossibilem hanc
æqualitatem: Ergo non fuit in illo talis simplex
apprehensio. Antecedens patet: nihil enim erat
in Angelo, quòd talem cognitionem sui com-
prehensivam perturbaret; quia nec in eo erat
habitus malus, nec aliquis motus passionis inor-
dinatus. Unde etiam propterea non potest An-
gelus per simplicem apprehensionem apprehen-
dere hominem ut irrationalem: maxime cum

E in

in Angelis non distinguatur apprehensio & judicium, quia eodem actu cognoscunt prædicatum in esse subjecto.

74. Respondet secundò Suarez, rationem D. Thomæ probare quidem, quòd appetitu efficaci & absoluto non possit Angelus appetere perfectam cum Deo æqualitatem, non tamen convincere de appetitu inefficaci & conditionato; quem plures, etiam ex Thomistis, asserunt posse ferri circa impossibilia, etiam cognita ut talia: sicut de facto penitens vellet non peccasse, & damnati Deum annihilari, si nimirum hæc essent possibilia.

75. Sed hæc etiam responsio facile potest confutari: Primò, quia licet Angelus possit habere appetitum omnimodæ æqualitatis cum Deo, conditionatum ex parte objecti simul & subjecti, seu ipsius actus (qui appetitus consistit in hoc, quòd si poneretur aliqua conditio, subjectum haberet actum appetitionis quem de facto non habet) repugnat tamen illi habere appetitum prædicæ æqualitatis, conditionatum solum ex parte objecti: Ergo non potuit primò peccare appetendo sub conditione omnimodæ cum Deo æqualitatem. Consequentia patet: ratio enim boni vel mali moralis, solum potest reperiri in appetitu conditionato ex parte objecti, non verò in appetitu conditionato ex parte actus; quia bonum vel malum morale non reperitur de facto in actu humano qui potest esse, sed tantum in eo qui de facto est; ille autem qui vult aliquid conditionatè ex parte actus, de facto nullum habet actum, sed tantum sita est dispositus, ut illum haberet, si poneretur conditio. Antecedens verò sic ostenditur: Implicat aliquam potentiam habere de facto actum quantumcumque, inefficacè circa illud, quòd non habet actu rationem formalem objecti, sed tantum sub conditione; verbi gratià implicat quòd visus videat parietem qui non sit actu coloratus, sed tantum sub conditione: Sed omnimoda æqualitas cum Deo, non habet actu rationem objecti voluntatis Angeli (quæ est ratio boni & convenientis fundata in existentia aut possibilitate vera, vel apparenti, seu existimata) quia Angelus non potest cognoscere illam æqualitatè ut possibilem: Ergo implicat Angelum habere actum de præsentia, quo velit illam æqualitatem, sed solum eum habere possit, si talis æqualitas possit apprehendi ut possibile.

76. Secundò dato & non concesso, Angelum posse appetere æqualitatem cum Deo, appetitu inefficaci, & conditionato solum ex parte objecti, primum tamen ejus peccatum nec fuit nec potuit esse situm in hujusmodi appetitu: Ergo hæc responsio Suaris non enervat vim rationis D. Thomæ. Consequentia patet, Antecedens quoad utramque partem probatur. Et in primis quòd de facto primum peccatum Angeli non fuerit appetitus inefficax, ex Scriptura evidenter colligitur: nam locis supra citatis describitur peccatum Luciferi ut voluntas absoluta, quæ tenderet ad assequendum quòd optabat, dum sic introducit eum loquentem: *In caelum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedeo in monte testamenti, in lateribus quilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.*

77. Confirmatur: Lucifer habuit plures Angelos socios suæ culpæ, qui ejus conatus promoverunt: At non potuerunt promoveri vel operari & adjuvare otiosam illius complacètiam in attribuenda sibi

imaginariè Divinitate, & perfectà cum Deo æqualitate: Ergo ejus culpa non fuit tantum complacètia quadam otiosa in æqualitate cum Deo, seu appetitus inefficax talis æqualitatis.

Secunda verò pars Antecedentis, quòd scilicet non potuerit primum peccatum Angeli in hujusmodi appetitu inefficaci consistere, sic colligitur: Primum peccatum Angelorum debuit necessariò esse appetitus deordinatus alicujus ut ultimi finis; siquidem appetitus naturalis Angelorum semper incipit à fine, & deordinatio circa media & fines intermedios, semper supponit deordinationem circa finem ultimum: Sed appetitus ultimi finis, in quantum hujusmodi, est appetitus efficax: Ergo primum peccatum Angelorum in appetitu aliquo inefficaci & conditionato consistere non potuit. Major patet, Minor verò suadetur: Tum quia appetitus ultimi finis, ut talis, est effectus dilectionis illius super omnia; diligere autem aliquid super omnia, est illud efficaciter velle; quia talis dilectio quantum est de se infert electionem mediatorum: Tum etiam, quia de ratione ultimi finis est ut ejus gratia omnia alia fiant: Ergo non potest ut talis imitare appetitum inefficacem, ut pote qui non habet inducere ad electionem mediatorum.

Probatur tertio nostra conclusio aliâ ratione, quam insinuat S. Doctor hic art. 3. in corp. & quæ potest sic proponi, Angelus non potuit primò peccare, appetendo appetitu prosecutionis suum non esse: Ergo nec appetendo per modum prosecutionis omnimodæ æqualitatem sibi cum Deo. Consequentia patet: sicut enim Angelus nequit simul esse ens per participationem, & esse per essentiam, ita non potest simul remanere Angelus, & habere omnimodam æqualitatem cum Deo. Antecedens verò probatur multipliciter: Primò quia unicuique inest naturale desiderium proprii esse specifici & individualis, tanquam fundamenti omnium aliarum perfectionum. Secundò quia sibi aliquid per modum prosecutionis appetere, nihil aliud est quam appetere illud bonum sibi conjungi, siue velle possidere tale bonum; qui appetitus necessariò involvit affectum conservandi sub illo bono proprio esse, alioquin bonum illud non vellet sibi, sed alteri.

Tertò quia unusquisque ita necessariò appetit suam beatitudinem, saltem in communi, ut nequeat velle oppositum: appetitus autem beatitudinis necessariò includit affectum conservandi proprium esse; nullus siquidem potest esse beatus, nisi sit; unde rectè D. Augustinus ex hoc quòd omnes homines beati esse volunt, infert quòd omnes immortales esse velint: Ergo Angelus non potuit primò peccare, appetendo appetitu prosecutionis suum non esse.

Dices: Licet non esse non possit appetere bene tamen per accidens & ratione alterius, ut patet in damnatis, & in desperantibus: Ergo licet Angelus non potuerit per se appetere non esse, potuit tamen illud appetere per accidens, tanquam medium ad consequendam perfectam æqualitatem cum Deo.

Sed contra primò: Ideo non esse potest à deo, non appeti per accidens & ratione alterius, quia potest appeti in ordine ad aliquod bonum proprium, liberacionem scilicet à penis & interitu. Sed non esse appeti non potest ab Angelo, non conduens ad aliquod bonum, eò quòd æqualitatem omnimodam cum Deo in ordine ad quam tantum potest appeti non potest apprehendi ab ipso

sub ratione boni, quia est simpliciter impossibi-
lis, & ut talis necessarii cognoscitur ab Angelo
suum essentiam perfecte comprehendente: Ergo
non esse, non potest, etiam per accidens, ab An-
gelo appeti.

Secundò, Licet per actum fugæ possit quis
per accidens velle non esse, non tamen per ac-
cidens prosecutionis, ut docet & probat D. Tho-
mas quæst. 16. de malo art. 3. ad 5. his verbis: *Cum*
aliquis velit se aliquid removeri, utitur se ut termino
aliquo, quem non est necesse salvare in motu: & ideo po-
test aliquis appetere se non esse, ut careat miseriis
(quod est velle non esse per actum fugæ & recep-
tionis a miseriis) sed cum aliquis appetit sibi bonum
(per actum scilicet prosecutionis) utitur se ut ter-
mino ad quem: hujusmodi autem terminum necesse est
salvare in motu; & ideo non potest quis appetere sibi a-
liquod bonum, quo habito ipse non remaneat. Cum
ergo primum peccatum Angeli debuerit esse a-
ctus prosecutionis, sequitur non potuisse primò
peccare, appetendo non esse, ad habendam om-
ni modam æqualitatem cum Deo: quia eà habi-
tà ipse non maneret.

Instabis: Potest aliquis per actum profes-
sionis hypostaticam cum aliqua persona divina
unionem sibi appetere, quæ tamen est incom-
possibilis cum propria existentia & subsistentia:
ergo potest aliquis sibi per accidens appetere
non esse, non solum per actum fugæ, sed etiam
per actum prosecutionis; & sic Angelus potuit
primò peccare appetendo non esse ad habendam
omni modam æqualitatem cum Deo.

Respondeo non repugnare aliquem per ac-
tum prosecutionis appetere sibi aliquid in-
compossibile cum suo esse existentia, dummo-
do tamen non sit impossibile cum esse specifi-
co & essentiali ipsius; qualis non est unio per-
sonalis cum Deo, bene tamen omni modam æqua-
litatem Angeli cum Deo. Hujus ratio est, quia u-
nusquodque naturaliter determinatur ad vo-
lendum suum esse specificum & essentialia; de-
terminatur verò solum ad volendum aliquid
esse existentia, sub quo conservetur esse specifi-
cum, sive illud esse existentia sit proprium, sive
alienum.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Contra nostram conclusionem in primis ob-
ijciunt Adversarii plura Scripturæ & SS. Pa-
trum testimonia, quibus asseritur quod Lucifer
appetere esse ut Deus, subindeque omni modam
cum ipso æqualitatem.

Sed facile respondetur cum S. Thoma hæc ar-
t. 3. quod voluit esse ut Deus, non per æquipa-
rantiam (appetendo scilicet perfectam æquali-
tatem cum Deo in natura) sed per similitudi-
nem quandam proportionalem, quatenus scilicet
voluit habere suam beatitudinem, sicut ha-
bet Deus, nempe vel supernaturalem ex propriis
meritis; vel supernaturalem sine subiectione
ad alium superiorem & excellentiorem finem, ut
infra latius exponemus.

Dices: *Isaia 14.* Lucifer sub persona Regis
Tyri ait: *Ascendam in caelum:* Sed hoc non potest
intelligi de Empyreo: in quo cum aliis Angelis
fuit conditus: Ergo intelligitur de cælo Sanctæ
Trinitatis, ut explicat S. Thomas supra quæst.
6. art. 4. ad 3. Voluit ergo conscendere ad æqua-
litatem Dei.

Tom. II.

A Respondeo cum eodem S. Doctore quæst. 16.
de malo art. 3. ad 3. quod Lucifer voluit quidem
ascendere in cælum Sanctæ Trinitatis, non tam-
en appetendo absolutam æqualitatem Dei, sed
tantum aliqualem.

Objiciunt secundò: Si omni modam æqualitas
Angeli cum Deo, non posset esse objectum, cir-
ca quod primò superbit, maxime quia, ut di-
ctum est, hæc æqualitas est impossibilis: Sed
hæc ratio nulla est: Ergo &c. Major patet ex
suprà dictis, Minor probatur primò ex Aristo-
tele 3. Ethic. cap. 2. dicente: *Electio quidem non*
est impossibile; voluntas autem est impossibile,
puta immortalitatis.

Secundò ex D. Thoma 1. 2. quæst. 13. art. 5. ad
B 1. ubi sic habet: *Voluntas completa non est nisi de pos-*
sibili quod est bonum volenti; sed voluntas incompleta
est de impossibili, quæ secundum quosdam velleitas dici-
tur, quia scilicet aliquis velleit illud, si esset possibile: e-
lectio autem nominat actum voluntatis jam determi-
natum ad id quod est huic agendum, & ideo nullo modo
est nisi impossibile.

Tertio probatur eadem Minor ex eodem S.
Doctore quæst. 16. de malo art. 3. ad 9. ubi ait:
Voluntas quæ dicitur impossibile, non est perfecta vo-
luntas, tendens in aliquid consequendum; quia nullus
tendit in id quod existimat impossibile: sed est quadam
imperfecta voluntas, quæ dicitur esse velleitas; quia
scilicet aliquis velleit id quod existimat impossibile, sed
sub hac conditione, si possibile esset: Ergo ex Aristo-
tele & D. Thoma, impossibile potest appeti, af-
fectu saltem inefficaci & conditionato. Quod
potest quarto suaderi ex illo actu ferventissimo
dilectionis Augustini erga Deum, quem his
verbis exprimebat: Domine si tu esses Augustinus, &
ego possem esse Deus, mallem te quam me esse Deum.
Iusti etiã sapè optant diligere Deum amore in-
finito, si esset possibilis. Deniq; multoties expe-
rimur, nos delectari de objectis impossibilibus,
sub conditione tamen quod essent possibilis.

Ut omnes illæ instantiæ facile diluantur: No-
87
tandum primò impossibile esse duplex, unum
per se & absolutè, & aliud per accidens & ex
suppositione. Primum est quod ex ipsis terminis
involvit contradictionem, ut hominem esse la-
pidem: hoc enim meritò dicitur esse impossibile
absolutè & simpliciter, quia non est tale respec-
tu hujus aut illius loci, temporis, vel causæ, sed
respectu omnium absolutè. Secundum verò est
illud quod non ex ipsis terminis, aut ex natura
rei, sed ex aliqua tantum hypothesi, involvit
contradictionem, sicut v. g. Judam non peccasse:
hoc enim absolutè non repugnat, sed solum
ex suppositione quod de facto peccaverit.

Notandum secundò inter hæc duo impossi-
88
bilia genera, notabile intercedere discrimen, in
eo consistens, quod impossibile per se, quacum-
que suppositione facta, vel quacumque addita
E conditione, nihil habet entitatis aut bonitatis;
ex quo provenit ut non possit appeti, nedum per e-
lectionem efficacem, tendentem ad executionem,
sed neq; etiam per simplicem voluntatem, sive
per inefficacem voluntatis actum, etiã sub con-
ditione si esset possibile: at verò impossibile per
accidens, licet ut stat sub illa suppositione im-
possibilitatis, & in sensu composito illius, non sit
possibile, nec consequenter habeat aliquã ratio-
nem boni & convenientis, tamen secundum se
sumptum, & ut per abstractionem purè præcisi-
vã abstrahit à tali suppositione & impossibilitate,
sive in sensu diviso illius, habet per se aliquã
possibi-

K k k

possibi-

possibilitatem & bonitatem : & ita consideratum, licet non possit esse formaliter volitum per actum electionis ; quia proprium est electionis tendere ad exercitium, atque ita terminari ad objectum cum omnibus circumstantiis quas habet hic & nunc in particulari, & inter quas numeratur suppositio per accidens illi adjuncta, quæ redditur impossibile : Potest tamen esse volitum, per simplicem actum voluntatis, qui dicitur voluntas ; quia cum hic actus non tendat ad executionem, potest terminari ad objectum secundum se, abstrahendo à particularibus circumstantiis, unde propterea peccator vult inefficaciter non peccasse, quamvis ex suppositione quod peccaverit, hoc sit impossibile ; Angelus tamen non potuit, appetitu etiam inefficaci, appetere omnimodam cum Deo æqualitatem, quia illa est per se & ex natura rei impossibilis.

89 Notandum tertio, siue potius recolendum ex Tractatu de scientia Dei, duobus modis appetitum conditionatum alicujus objecti intelligi posse, primò ita ut conditio se teneat tam ex parte actus quam ex parte objecti ; secundò ita ut se teneat solum ex parte objecti. Quando conditio dicitur se tenere ex parte actus, non significatur esse in appetitu aliquem actum formalem, sed solum talem in eo reperiri dispositionem, ratione cujus præbeat fundamentum hic & nunc interpretandi, quod si poneretur conditio, daretur revera formalis appetitus hujusmodi objecti ; sicut v.g. si dicerem : *Ego vellem venari, si hoc liceret Clerico* : per hunc modum loquendi, non designare me habere actu volitionem circa venationem, sed potius significarem me illam habiturum, supposito quòd ea liceret Clerico. Cum verò conditio se tenet ex parte objecti tantum, non verò ex parte actus, significatur actum illum non esse suspensum : sed formaliter existere in voluntate quamvis non fortiaur suum effectum, nisi dependenter ab aliqua conditione, ex parte objecti se tenente, sicut si dicerem : *Volo quod si Petrus veniat cras in domum, prædeat mecum* : significaretur actualis & formalis volitio prandii, dependens tamen ab aliqua conditione, nimirum ab adventu Petri in domum. Et in hoc sensu ostendimus in Tractatu de scientia Dei, dari in Deo decreta conditionata de rebus conditionate futuris, quamvis multa illorum non fortiantur effectum, quia Deus decrevit absolute non ponere conditionem. His præmissis,

Disp.
5.
art. 2

90 In forma ad argumentum respondeo, concessâ Majori, negando Minorem. Ad cujus primam & secundam probationem, ex Aristotele & D. Thoma desumptam, dico ipsos non loqui de impossibili per se, quale est, Angelum esse omnino æqualem Deo, sed de impossibili solum ex suppositione, siue per accidens, quale est illud quod afferunt in exemplum, scilicet immortalitas hominis in hac vita, quæ secundum se sumpta, & prout abstrahit à suppositione status corruptibilis hujus vite, habet aliquam possibilitatem, bonitatem, & convenientiam, subindeque sic considerata, potest esse volita ; non quidem appetitu efficaci & absoluto, sed inefficaci & conditionato ex parte objecti tantum.

91 Ad tertiam probationem, ex alio D. Thomæ testimonio desumptam, dicendum est, S. Doctorem non loqui ibi de voluntate, seu actu voluntatis, qui sit actu, & sub conditione se tenente præcisè ex parte objecti, sed de actu qui esset, si illud objectum esset possibile, siue qui est conditiona-

tus conditione se tenente non solum ex parte objecti, sed etiam ex parte ipsius actus, quare appellatur à D. Thoma ibidem *vellitas*, quæ aliquis conditione, si possibile esset. Unde ad dictum Augustini respondeo cum Salmanticensibus, illud fuisse conditionatum cum Salmanticensibus, ille ex parte actus voluntatis, & ita non fuisse expressionem alicujus actus quem de facto haberit, sed quem habuisset, si tale objectum fuisset possibile. Ad illud quod subjungitur de sanctis viris, Deum amore infinito diligere exoptantibus, eodem modo respondendum est : illi liquidem ex ferventissimo amore ita disponuntur, ut merito judicent, quod si esset illis possibile amor infinite intensus erga Deum, elicerent ipsam ; sicque dicuntur habere voluntatem conditionatam ex parte actus diligendi Deum amore infinito.

Ad ultimam probationem respondeo complacentiam illam, quam in nobis interdum de rebus impossibilibus experimur sub conditione tamen quod essent possibles, vel esse de ipsa cognitione hujusmodi objecti conditionati, vel si sit de objecto, non elicià voluntate, sed ab appetitu sensitivo : quia enim, dum quis per intellectum apprehendit rem aliquam impossibilem, sibi, sub conditione quod esset possibile, fore convenientem, cogitativa tunc apprehendit illud idem objectum, ad instar alicujus possibili & convenientis, idè potest per talem apprehensionem movere appetitum sensitivum ad eliciendum aliquem actum circa tale objectum ; quia scilicet appetitus sensitivus sequitur simplicem apprehensionem : voluntas autem, cum non moveatur nisi ex præsupposito iudicio quo objectum iudicetur conveniens, manet tunc inspersa, nec ullum elicit actum formalem.

Neque valet si dicas, impossibile esse quod aliquid deleatur de consideratione alicujus objecti, nisi etiam deleatur de objecto consideratione : subindeque, si potest esse delectatio de consideratione objecti per se impossibilis, poterit etiam esse de ipsomet objecto. Respondetur enim, Antecedens esse verum de cognitione practica, proponente objectum ut conveniens, licet de cognitione speculativa, aut non proponente objectum, ut habens pro tunc convenientiam, ut contingeret in proposito.

Objicies tertio : Dæmones & omnes damnati, imò & peccatores gravissimi, odio habent Deum, atque ita vellunt, volitione absolute ex parte actus, illum non esse. Sed Deum non esse, est objectum impossibile per se & ex natura rei : Ergo impossibile per se potest appeti, sicque Angelus potuit primò peccare, appetendo omnimodam cum Deo æqualitatem, quamvis illa per se & ex natura rei sit impossibilis.

Ad hoc argumentum quoad homines facile responderi potest, hoc odium procedere in illis ex errore, quo ob cæcitatem, ex peccato & motibus inordinatis passionum proveniente, judicant objectum illud esse possibile, aut saltem illud sibi proponunt ut conveniens, non consideratà impossibilitate illius. Verum quoad Dæmones, hæc solutio non videtur habere locum : quia illi per peccatum non amiserunt cognitionem sui comprehensivam, quæ cognoscunt esse entia per participativam, dependentia ab essentia per essentiam, omnino indefectibili. Unde potest dici primò, Dæmones non odio habere Deum.

S. IV.

Rejiciuntur alia dua sententia, & vera statuitur.

Dico secundò: Objectum excellens circa quod Angelus primò deliquit, non fuit unio hypostatica.

Hæc conclusio supponit primò Angelis in via existentibus revelatum fuisse mysterium Incarnationis, saltem quoad substantiam, ut ex Divo Augustino docet S. Thomas 2.2. quæst. 2. art. 7. ad 1. Ratio etiam id suadet: Nam membris intellectuibus debita est noticia proprii capitis, ut debitam ipsi reverentiam exhibere valeant: Sed Christus est caput non solum hominum, sed etiam Angelorum, ut docet Divus Thomas 3. p. quæst. 8. art. 4. Ergo illis in via existentibus ejus noticia debuit communicari, subindeque mysterii Incarnationis, saltem quoad substantiam. Quod addo, quia cum Incarnatio Verbi, quantum ad ejus occasionem, dependeat à peccato Angelorum, non fuit congruum eis revelari illius occasionem, ne ante suum peccatum aliquam inde tristitiam conciperent.

Supponitur etiam, Deum imposuisse omnibus Angelis in via existentibus præceptum ut adorarent Christum, & eum tanquam proprium caput ac Dominum recognoscerent. Hoc enim colligitur ex Apostolo ad Hebræos 1. ubi ait: *Et cum iterum introduxit primogenitum in orbem terræ, dixit: Et adorent eum omnes Angeli ejus.* Imò est valde probabile, supposità divina dispositione decernente unionem hypostaticam, ejusque manifestatione factà Angelis in via existentibus eos statim debuisse, ex naturali quadam obligatione Christum ut Deum ac Dominum suum adorare, seque illi subjicere. His nihilominus positis, adhuc asserimus, primum Diaboli peccatum non fuisse circa unionem hypostaticam.

Probatum primò: Primum Angeli peccatum debuit necessariò esse circa ultimum finem ab eo adipiscendum; cum teste D. Thomà 2.2. quæst. 163. art. 1. priùs moveatur appetitus in finem, quam in id quod queritur propter finem: Sed unio hypostatica non est finis ultimus Angeli, ab eo acquirendus vel possidendus; neque enim est finis ejus naturalis, ut patet; neque supernaturalis ad quem elevatus fuerit, ut etiam evidens est: Ergo primum Angeli peccatum non fuit circa unionem hypostaticam.

Deinde si Angelus circa unionem hypostaticam primò peccavit, vel peccavit quia eam ut sibi debitam, & naturæ suæ viribus acquirendam appetiit, vel quia eam homini invidit, vel quia Christo tanquam proprio capiti & domino noluit se subjicere: Sed nullo ex his tribus modis potuit primò peccare: Ergo primum Angeli peccatum non fuit circa unionem hypostaticam. Major patet ex sufficienti inductione. Minor verò probatur, quantum ad singulas partes. Et in primis quòd Angelus non primò peccaverit, appetendo unionem hypostaticam, ut suæ naturæ debitam, ac propriis viribus acquirendam, videtur certum: quia non potuit Angelus peccare appetendo hoc modo unionem hypostaticam, nisi ex aliquo errore circa illam præcedente, ut constat; qui tamen error præcedere non potuit in Angelo primum ejus peccatum, ut patebit ex dicendis articulo sequenti.

Quòd etiam non primò peccaverit invidendo

Kkk 2 homi-

ratione esse etiam illis repugnantium, putà ratione peccati ab eo inflicta, aut obligationis ab eo impositæ, ad aliquid faciendum vel omitendum; & sic per hoc odium eos non appetere absolutè Deum non esse, sed solum appetere non esse in eo adus liberos à quibus illi effectus proveniunt: non esse autem tales adus liberos in Deo, est solum impossibile per accidens & ex suppositione.

Secundò & melius responderi potest, quod Demones appetunt Deum non esse, non per se, sed per accidens, & ratione alterius, quatenus scilicet volunt liberari à miseris, quod esse nequit, nisi Deo non existente. Omnimoda autem æqualitas cum Deo, si appeteretur ab Angelo, deberet appeti per se: si enim appeteretur ratione alterius, tanquam medium appeteretur, quod non potest esse sine errore, qui nequit esse in Angelo. Et dato quod hujusmodi æqualitas appeteretur ratione alterius, tunc volitio illius ratione cujus appeteretur, esset primum peccatum Angeli, non verò appetitus ipsius æqualitatis.

Obijcet ultimò: Ex eo quod Angelus appetat omnimodam cum Deo æqualitatem in natura, non sequitur necessariò ipsum appetere non esse sui: Ergo secunda ratio D. Thomæ falso nititur principio. Consequentia patet. Antecedens autem sic probatur à Vaz que. Potest intellectus Angeli considerare bonitatem quæ est in æqualitate cum Deo & non considerare non esse ipsius Angeli quod ex ea sequitur, illamque proinde proponere voluntati ut appetendam, & non proponere ut appetendum non esse ipsius Angeli: Ergo voluntas poterit velle æqualitatem cum Deo, quamvis non velit non esse Angeli.

Confirmatur: Licet ex omnimoda cum Deo æqualitate sequatur non esse Angeli, tamen non est necessarium ut qui vult antecedens bonæ consequentiæ, velit etiam consequens expressè & actualiter, si ignoret aut non consideret consequentiam minus ex altero, aut si antecedens non velit absolute, sed tantum sub hac conditione, si stat simul cum opposito consequentis: Ergo idem quod priùs.

Respondeo negando Antecedens. Ad cujus probationem, nego etiam Antecedens: quia ut intellectus Angeli moveat ejus voluntatem ad appetendam æqualitatem cum Deo, non satis est ipsum considerare secundum se bonitatem quæ est in tali æqualitate, sed insuper requiritur quod eam consideret sibi convenientem: non potest autem eam sic considerare, quia videt esse impossibilem cum suo esse proprio, subindeque sibi potius disconvenientem, quam convenientem. Ex quo patet responsio ad confirmationem: negandum enim est, quod æqualitas cum Deo in natura, possit videri ut attributa seu conveniens Angelo; eò quod videtur impossibile cum esse illius; quam impossibilem non potest Angelus ignorare, vel non considerare. Addo etiam implicare contradictionem. Angelum velle æqualitatem cum Deo, sub hac conditione, si stet simul cum permanentia proprii esse: vellet enim æqualitatem cum Deo, ut supponitur, & non vellet illam, quia videtur manifestè per nullam potentiam fieri posse, ut staret simul cum permanentia proprii esse.

homini unionem hypostaticam, constat ex dictis articulo præcedenti: ibi enim ostendimus, primum Angeli peccatum non potuisse esse invidiam, quia peccatum invidiæ ex superbia nascitur; unde Augustinus lib. ii. de Genesi ad litteram cap. 14. *Invidia (inquunt) sequitur superbiam, non præcedit.* Ratio etiam id suadet: quia odium boni alterius (cujus odii species est invidia) oritur tanquam ex radice, ex amore inordinato propriæ excellentiæ, in quo consistit peccatum superbiæ; Ergo Angelus non primò peccavit ex invidia.

Tertio, quod non primò peccaverit ex eo quod Christo tanquam proprio domino & capiti noluerit se subicere, facillè suadet: Nam cum omnis nolitio sit fuga mali, supponit volitionem & prosecutionem alicujus boni: *Quia enim bonum queritur, idèd refutatur oppositum malum,* inquit D. Thomas 1. 2. quæst. 25. art. 2. Ergo nolle subijci Christo, nec fuit, nec potuit esse primum Angeli peccatum, sed debuit necessariò præsupponere in Angelo perversam volitionem alicujus objecti excellentis, ad quam sequuta est nolitio seu fuga talis subjectionis. Unde eprimè idem S. Doctor 3. contra Gentes cap. 109. dicit quod *ex prima inordinatione voluntatis que fuit in Demone, consequutum est multiplex peccatum in voluntate ipsius.* Quare si aliquando SS. Patres asserant, Angelum peccasse appetendo sibi unionem hypostaticam, velem homini invidendo, aut nolendo se subicere Christo ut proprio capiti, hoc debet intelligi, non de primo illius peccato, sed de peccato primam voluntatis ejus deordinationem consequente. Et per hoc soluta manent præcipua adversæ sententiæ fundamenta.

Dices tamen, superbia maxima, qualis fuit superbia Angelorum, debuit esse circa maximam excellentiam, qualis est unio hypostatica.

Respondeo ex D. Thoma quæst. 16. de malo art. 3. ad 6. non esse necessarium quod maxima superbia versetur circa maximam excellentiam: plures enim magis superbiunt de parva excellentia, quam alii de maxima. Adde proprium esse superborum, magis affici ad bona sibi propria & connaturalia, quam ad alia, propter quod superbi dicuntur 2. Petri 2. *sibi placentes*: quod saltem verum est, quando bona excellentissima, nec sunt evidenter nota superbo, nec ad illa prosequenda est naturaliter determinatus & propensus: unio autem hypostatica, nec est bonum Angelo connaturale, nec evidenter fuit ipsi nota dum erat in via, sed obscure tantùm fidei lumine revelata.

105 Dico tertio, primum Diaboli peccatum non fuisse appetitum principatus sive potestatis tyrannicæ supra alias creaturas intellectuales. Ita D. Thomas hinc art. 3. ubi sic ait: *Quia verò quod est per se est principium & causa illius quod est per aliud, ex hoc etiam consequutum est quod d. appetit aliquem principatum super alia habere: in quo etiam perverse voluit Deo assimilari.* Quibus verbis manifestè declarat, appetitum tyrannicæ potestatis supra alias creaturas intellectuales, non fuisse primum Diaboli peccatum, sed consequutum ex primo.

Ratio etiam id suadet: Nam inordinatè appetere principatus & honores, perit ad ambitionem, ut docet Divus Thomas 2. 2. quæst. 131. art. 1. ad 2. Sed primum Angeli peccatum non potuit esse ambitio: Ergo nec appetitum principatus seu potestatis tyrannicæ supra alias creaturas intellectuales, Major patet, Minor probatur, Ambitio

A supponit superbiam, unde & dicitur ejus fuisse Ergo primum Angeli peccatum non potuit esse ambitio.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio. Si ut esse simpliciter, necessariò præsupponitur ad esse secundum quid, ita & appetitum propriæ excellentiæ, simpliciter & absolute sumptæ, debet præcedere appetitum excellentiæ secundum quid, sive cum addito, nempe in honoribus & dignitatibus: unde cum superbia sit circa excellentiam propriam, simpliciter & absolute sumptam; ambitio verò circa excellentiam solùm secundum quid, in dignitatibus scilicet & honoribus, peccatum superbiæ in Angelis, debuit necessariò præcedere peccatum ambitionis; subindeque appetitum principatus sive tyrannicæ potestatis supra alias creaturas intellectuales, quoad ambitionem pertinet.

Confirmatur ampliùs: Appetitio objecti appetibilis propter aliud, præsupponit appetitionem alterius appetibilis propter se: Sed principatus seu potestatis in alios, non est objectum appetibile propter se, sed propter aliud; quia bonum absolutum, & per ordinem ad proprium suppositum appetentis, est appetibile propter se, bonum verò relativum, & in ordine ad aliud, est appetibile propter aliud; prius enim est rem esse in se bonam & perfectam, quam in ordine ad alios; unde principatus in alios, non appetitur nisi tanquam signum propriæ virtutis & excellentiæ: Ergo primum Diaboli peccatum, non potuit esse appetitum principatus in alias creaturas intellectuales, sed solùm appetitum inordinatum propriæ perfectionis & excellentiæ.

Adde quod tyrannica illa potestas est objectum de se malum & inhonestum, cum illa non sit naturaliter debita Angelis, sed contra jus usurpata: primum autem Diaboli peccatum, non potuit consistere in volitione alicujus objecti de se mali & inhonesti, sed eo quod ad volitionem alicujus objecti de se mali & inhonesti, debeatur præcedere aliquis error in intellectu, quo objectum illud judicatur bonum & conveniens; qui tamen error primum Angeli peccatum præcedere non potuit, ut manifestè patebit: Ergo idem quod prius.

Dico quarto: Angelus primò peccavit appetendo inordinatè suam beatitudinem naturalem, scilicet non ordinatè, ut tenebatur, in suam supernaturalem ipsi reuelatam.

Probatum primò ex illo Ezechiel 28. *In multitudine sapientia tua, & in negatione tua multiplicasti tibi fortitudinem, & elevatum est cor tuum in robore tuo.* Idem ibidem: *Elevatum est cor tuum in decore tuo: perdidisti sapientiam tuam in decore tuo:* ubi, ut communiter docent SS. Patres, agitur de primo Luciferi peccato: Atqui ibi dicitur quod superbiit de cumulo perfectionum naturalium quas habebat, nempe de sapientia, robore, decore &c. qui cumulus perfectionum naturalium, naturalem Angelus beatitudinem constituit: Ergo ex Scriptura objectum excellens, circa quod Angelus primò peccavit, fuit naturalis illius beatitudo.

Confirmatur ex SS. Patribus, qui dicunt Angelum peccasse, quia in ea quam acceperat à Deo potentia & dignitate sibi placuit: ita Ambrosius super Psalm. 118. octonario; Vel quia ipse sibi ad beatam vitam sufficere voluit, ut ait Augustinus 12. de civit. cap. 1. Vel ut loquitur Bernardus 3. de verbis Isaac, *vidi Demum sedentem*

quod ipso voluit esse contentus. Vel denique, ut
 A Deum ut finem supernaturalem appetendo, pec-
 cato commissionis, non verò puræ omissionis
 deliquit.

§. V.

Præcipua objectiones solvuntur.

Contra hanc conclusionem objicitur primò: **C**
 Obje&um primi peccati Luciferi, fuit aliquid
 nondum ab illo possessum: unde in Scriptura per
 verba de futuro explicatur, ut patet ex illo Isaia 14.
In celum conscendam, similis ero Altissimo: item E-
 zechielis 28. nomine negotiationis insignitur, cum
 dicitur Lucifero: *In multitudine negotiationis tuæ,
 repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti;* ne-
 gotiatio autem non terminatur ad objectum actu
 possessum, sed possidendum: Atqui beatitudo natu-
 ralis possidebatur à Luciferò, dum peccavit,
 cum ea siquidem à Deo creatus est: Ergo objectum
 primi peccati Luciferi, non fuit beatitudo natu-
 ralis illius.

Confirmatur ex Anselmo supra relato, dicente
 Diabolum appetisse id ad quod pervenisset, si ste-
 tisset: Sed non pervenisset ad beatitudinem natu-
 ralem, cum illam haberet ante peccatum: Ergo illam
 inordinatè non appetit.

Ad objectionem respondeo distinguendo Ma- **i 15.**
 jorem: fuit aliquid nondum possessum, materialiter,
 sive quoad entitatem, nego: formaliter, sive
 quoad rationem formalem, secundum quam ex
 modo volendi appetebatur, concedo. Similiter di-
 stinguo Minorem: beatitudo naturalis ab Angelo
 cum peccavit possidebatur, materialiter & quoad
 entitatem, concedo: formaliter sive quoad ratio-
 nem formalem secundum quam appetebatur, ne-
 go: non enim erat actu habita quoad rationem finis
 ultimi & perfectè factivi; secundum quam tamen
 rationem ex modo appetendi Angelus tendebat
 in beatitudinem naturalem, eo ipso quod illam
 appetebat sine subordinatione ad supernaturalem.
 Unde

Ad confirmationem distinguo Minorem: Si An- **i 16.**
 gelus stetit, non pervenisset ad suam beatitudi-
 nem naturalem, præcisè secundum se considera-
 tam, concedo; nam ut rectè dicitur in objectione,
 illam sic habebat ante peccatum: non pervenisset
 ad suam beatitudinem naturalem, ut inamissibiliter
 possidendam, & ut subordinatam beatitudini su-
 pernaturali, nego: illam enim ante suum primum
 peccatum sub hac ratione non possidebat; quan-
 doquidem poterat illam amittere, ac ordinatio-
 nem ipsius in finem supernaturalem ommittere, sicut
 de facto omisit: unde primum peccando, potuit
 illam sic consideratam habere pro objecto sui
 peccati.

Objicitur secundò: Si Diabolus peccasset, quie- **i 17.**
 scendo in sua beatitudine naturali, tanquam in fine
 ultimo, & eam non ordinando ad supernatura-
 lem, peccatum illius non fuisset superbiæ, sed pu-
 fillanimitatis: At hoc dici nequit: Ergo nec illud.
 Sequela Majoris probatur: Quiescere in minori
 recusando tendere ad magna, propriæ virtutis vel à
 Deo acceptæ commensurata, pertinet ad pusillanimitatem,
 ut docet S. Thomas 2.2. quæst. 133, art. 1. Atqui beatitudo supernaturalis commen-
 suratur divinæ gratiæ omnibus Angelis concessæ:
 Ergo si Angelus primò peccavit recusando beati-
 tudinem supernaturalem, & quiescendo in natu-
 rali, ejus peccatum fuit pusillanimitatis, non verò
 superbiæ.

Respondeo negando sequelam Majoris. Ad **i 18.**
 Kkk 3 cujus

cujus probationem dicendum est, pertinere quidem ad pusillanimitatem, velle quiescere in minoribus, magnis relictis, ex terrore excellentiæ illorum: secus vero si ideò relinquuntur magna, quia ex modo, quo parva appetuntur, despiciuntur, ut contingit in proposito: ideò enim Dæmones, adhærendo beatitudini naturali, reliquerunt supernaturalem; quia ex modo tendendi in naturalem, sine subjectione scilicet ac subordinatione ad supernaturalem, istam despexerunt; quod propriè ad superbiam pertinet. Unde D. Gregorius libro 12. Moralium cap. 7. enumerans quatuor species superbiæ (quas etiam refert D. Thomas 2. 2. qu. 362. art. 4.) dicit peccatum Angeli esse in quarta specie, consistente in hoc quòd quis de bonis habitis plus nimio gloriatur, volens illa singulariter possidere, spreto aliis, nempe beatitudine supernaturali, & aliis bonis ejusdem ordinis.

119. Obijciunt tertio: Circa objectum, quod volunt diligere necessariò quoad specificationem & exercitium, non potest esse actus inordinatus & peccaminosus: Atqui beatitudo naturalis diligitur ab Angelo necessariò quoad specificationem & exercitium: Ergo illa non potuit esse objectum primi peccati Angelorum. Major probatur: quia actus moraliter malus debet esse liber.

Confirmatur: Amor quo Angelus in secundo instanti diligebat suam beatitudinem naturalem, fuit idem qui in primo: cum sit necessarius quoad exercitium: Sed in primo non fuit inordinatus, nec peccaminosus: Ergo nec in secundo.

120. Respondeo ex Ferrariensi 3. cont. Geni. cap. 119. distinguendo Majorem: sub ea ratione sub qua diligitur omnino necessariò, concedo: sub alia ratione sub qua diligitur libere, nego. Quamvis autem beatitudo naturalis, absolute & secundum se considerata, sit objectum omnino necessariò ab Angelo dilectum, ut subordinata tamen, vel non subordinata beatitudini supernaturali, libere ab eo diligitur: & ideò licet non possit Angelus peccare in dilectione illius, absolute & secundum se considerata, bene tamen in dilectione illius ut non relatæ ad finem supernaturalem. Neque verò est inconveniens, quòd circa idem objectum, diversimodè consideratum, idem actus possit esse necessarius & liber: nam Christus Dominus circa ipsum Deum amandum secundum se non erat liber, sed necessitabatur ex visione Beatifica; licet circa eundem Deum, ut erat ratio diligendi creaturas, esset liber; cum per talem actum mereretur, sicut in Tractatu de Incarnatione docetur. Unde

121. Ad confirmationem dico, amorem quo Angelus in secundo instanti diligebat suam beatitudinem naturalem, fuisse eundem physicè & substantialiter ac in primo, non tamen moraliter ac modaliter: nam illi in secundo instanti advenit modus libertatis, quatenus in illo instanti poterat referre vel non referre suam beatitudinem naturalem in supernaturalem.

122. Obijciunt ultimo: Angelus non potest peccare per se primo, immediatè, & directe contra finem naturalem, sed tantum indirectè, secundariò, & ex consequenti, peccando scilicet directe, immediatè, & per se primo, contra finem supernaturalem, ut supra ostensum est: Ergo primum peccatum illius, fuit circa finem & beatitudinem supernaturalem, non verò circa naturalem.

123. Sed nego Consequentiam: quamvis enim ponatur Angelum primo peccasse, appetendo inordinatè beatitudinem tantum naturalem, modo à nobis explicato, adhuc salvatur ipsum per se pri-

mo & immediatè peccasse contra præceptum supernaturale, quo prohibebatur amor beatitudinis naturalis, sine ordinatione ad supernaturalem: unde cum transgressio præcepti supernaturalis obligantis sub morali, sit etiam avertio à Deo ultimo fine supernaturali, magis directè quam à naturali, salvatur etiam Angelum prius fuisse avertitum à Deo, ut ultimo fine supernaturali, quam ab illo ultimo fine naturali.

Ex dictis facile intelliges, quomodo Angelus voluerit esse ut Deus, non per æquiparantiam, sed per similitudinem proportionalem: sicut enim Deus in seipso propriam habet beatitudinem naturalem, ita Angelus ex modo appetendi suam beatitudinem naturalem, voluit in seipso naturaliter habere ultimum finem, ac sibi sufficere ad suam felicitatem, & ut loquitur D. Bernardus supra relatus, seipso voluit esse contentus.

§. VI.

Statuitur ultima Conclusio.

Dico ultimo: Primum Angeli peccatum, non fuit, nec esse potuit, appetitus expressus & formalis beatitudinis supernaturalis, ut acquirenda viribus naturæ, & sine auxilio gratiæ, bene tamen appetitus virtualis & interpretativus illius.

Prima pars probatur: Talis volitio supponit errorem ex parte intellectus; supponit enim hoc iudicium erroneum: potest acquiri beatitudo supernaturalis, ex viribus naturæ, ac sine meritis, & auxiliis gratiæ, quod est hæresis Pelagii: Sed error non potuit esse in Angelo ante peccatum, ut patet in articulo sequenti: Ergo nec talis volitio.

Confirmatur: Vel ille appetitus fuit efficax, vel inefficax? Neutrum dici potest: Ergo &c. Minor quantum ad primam partem est evidens: nam volitio efficax beatitudinis supernaturalis, involvit, saltem virtualiter, volitionem mediorum ad illam consequendam necessariorum; media verò necessaria ad consecutionem beatitudinis supernaturalis, sunt vires supernaturales, & auxilia divina gratiæ. Probatur verò quantum ad secundam: quia ut ostensum est supra, agendo de appetitu equalitatis Dei, Angelus in primo peccato non potuit solum peccare ex inefficaci appetitu, sed ex aliquo fine efficaciter intento, & cuius gratiæ cætera appeterentur; & de facto peccavit appetendo aliquid quod a se qui tentavit, non circa quod in efficiantiam complacentiæ elanguit, ut ibidem monstravimus: unde omnia quæ diximus circa inefficacem appetitum equalitatis divinæ, curramus contra inefficacem appetitum supernaturalis beatitudinis.

Secunda etiam pars suaderet: Nam D. Thomas perpetuò docet, Angelum recuisse habere beatitudinem supernaturalem ex gratiæ & beneficii Dei. Hoc potissimum docet articulo tertio huius quæstionis, ubi inquit: In hoc appetit esse similes Deo, quia appetit ut finem ultimum beatitudinis, id ad quod virtute sua natura poterat pervenire, appetens suum appetitum à beatitudine supernaturali, qua est ex gratiæ Dei: id est, reculans beatitudinem supernaturalem, quia est ex gratiæ: reculans autem beatitudinem supernaturalem, quia est ex gratiæ, est virtualiter & interpretativè velle illam, si non esset consequenda ex gratiæ: qui enim ex amore superbiæ despiciat aliquid magnum bonum, et eo quòd videt non posse haberi nisi beneficio alieno, tacitè insinuat quòd si posset habere independentè ab alterius gratiæ, illud libenter ap-

Præmittenda ad resolutionem quæstionis.

peteret. Unde quando S. Doctor post verba re-
lata subdit: *vel si appetit ut ultimum finem illam Dei
similitudinem que datur ex gratia; voluit hoc habere
per virtutem suam naturæ, non ex divino auxilio secun-
dum dispositionem: non loquitur de volitione for-
mali & expressa beatitudinis supernaturalis, sed
de virtuali tantum & interpretativa.* Eodem
modo intelligi & explicari debet id quod docet
quæst. 16. de malo art. 2. ad 4. & art. 3. in corp.
nempe Angelum peccasse ex eo quod beatitudi-
nem supernaturalem consequi voluit, per virtu-
tem suæ naturæ, & sine auxilio gratiæ; quod
etiam reperit in 2. dist. 5. quæst. 1. art. 2. Licet e-
tiam hæc testimonia significare videantur, fuisse
in Angelo intentum consequendi positivè glo-
riam sine gratia, tamen revera non sunt intelli-
genda de intento positivæ consecutionis for-
maliter, sed solum virtualiter & indirectè, ita ut
peccaverit illam habere ex gratia; quod est vir-
tualiter velle illam, si non esset ex gratia: aliàs
etiam esset contradictio in D. Thoma, negante in
Angelo errorem speculativum ex una parte, ut
patet in hac quæstione art. 1. ad 4 & supra quæst.
1. art. 5. & quæst. 16. de malo art. 6. & alibi sæ-
pe. & ex alia concedente in illo volitionem ex-
pressam & formalem acquirendi beatitudinem
supernaturalem ex virtutibus naturæ, & sine auxilio
gratiæ; quæ volitio, ut ostendimus, errorem in
intellectu necessariò supponit.

Dices: Primum Angeli peccatum debet esse
actus se habens per modum volitionis & pro-
secutionis, non verò per modum recessus & fugæ.
Sed reculare beatitudinem supernaturalem,
ut habendam ex gratia & beneficio Dei; est actus
se habens per modum fugæ & recessus ut patet:
ergo in eo primum Angeli peccatum nequit
consistere, subindeque nec in virtuali volitione
consequendi beatitudinem sine gratia.

Respondet nos in primo Angeli peccato non
consistere solum illam fugam & recusationem
beatitudinis supernaturalis, ut habendam ex gra-
tia. Non enim debet separari in Angelis recusa-
tio beatitudinis supernaturalis, à voluntate man-
dandi & quiescendi in sua naturali felicitate seu
excellentiâ: quia sicut homo peccans appetitu
sensibilem, simul recusat spiritualia &
superiora bona, licet vellet ea habere sine labo-
re, & non carendo fruitione rerum sensibilium;
ita etiam Angelus simul & eodem actu superbia
recusat beatitudinem supernaturalem, ut ac-
quirendam ex gratia & meritis, & adhæsit suæ
naturali felicitati, ut suo ultimo fini, non ordi-
nando illam in supernaturalem, ut antea expli-
catum est.

ARTICVLVS IV.

*Quâ viâ peccatum in Angelorum mentes
irrepperit?*

Angelos peccasse, idque inordinato propriæ
excellentiæ & naturalis beatitudinis appe-
tus, sufficienter constat ex dictis: sed quæ fuerit
causa peccandi, quâ viâ in eorum mentes
hoc irrepperit, seu quæ fuerit secreta illa ri-
na, quæ tanto malo aditum aperuerit, ænigma
obscurissimum, & ferè penitus inextricabile,
humana sapientia incognitum, vixque ipsis An-
gelorum mentibus pervium. Ut tamen aliquis
opus notitia haberi possit, quædam breviter hic
præmittenda sunt.

Suppono primo ex Tractatu de peccatis,
quod omnis defectus voluntatis, provenit ex
aliquo defectu intellectus proportionato ipsi
defectui voluntatis, propter summam conne-
xionem & dependentiam voluntatis ab intelle-
ctu, tam in esse, quàm in operari; quæ tanta est,
ut ipsa voluntas emanet ab essentia, mediante
intellectu, & nihil operetur nisi circa objectum
sibi propositum, & ab ipso cognitum: propterea
communiter dicitur, quod voluntas est potentia
cæca, sequens ductum rationis, sive quod est
appetitus rationis vel intellectualis; quia scilicet
ejus objectum est bonum cognitum ab intelle-
ctu. Cùm ergo peccatum sit aliquis defectus vo-
luntatis, necessariò præsupponit aliquem defe-
ctum ex parte intellectus, vel ignorantia, vel er-
roris, vel inconsiderationis. Unde Proverb. 14.
dicitur: *Errant qui operantur malum: & sæpe in
Scriptura, peccatum, stultitia vel ignorantia ap-
pellatur.* Et hinc ortum est commune illud axioma,
Omnis peccans est ignorans, quod non debet in-
telligi de ignorantia speculativa, sed practica, &
opposita dictamini prudentiæ. Hinc etiam Ari-
stoteles 6. Ethic. docet, quod non potest esse
peccatum in voluntate, existente in intellectu
rectâ prudentiâ, hoc est rectâ cognitione practi-
câ. Et D. Thomas quæst. 1. de virtut. art. 6. ad 1.
*Ad prudentiam, inquit, pertinet judicare de singulis
agibilibus, prout sunt nunc agenda; quod quidem ju-
diciam corrumpitur per quolibet peccatum; & ideo
prudentiâ manente homo non peccat.*

Neque huic suppositioni contrariatur qui-
dam articulus Parisiensis, in quo dicitur: *Intel-
lectu existente in apice rationis, potest voluntas in oppo-
situm: hoc enim, ut interpretatur Cajetanus 1. 2.
quæst. 77. art. 2. intelligendum est de intellectu
existente in apice rationis, quoad universalia
principia, non autem quoad particularia, vel
quoad universalia & particularia in habitu, non
in actu; vel de intellectu existente in apice ra-
tionis speculativè tantum, non practicè; vel
denique de intellectu stante in apice rationis,
per modum consilii, non per modum imperii.*

Suppono secundo ex eodem Tractatu, quatuor
defectus in intellectu hominis vel Angeli reperi-
ri, vel saltè excogitari posse. Primus omni intel-
lectui creato & creabili communis est, & vocari
solet *nescientia*, quæ est carentia cognitionis ejus
quod quis non tenetur scire; unde ille non potest
esse causa peccati. Secundus est ignorantia, quæ
est privatio cognitionis habitualis & actualis
eorum quæ quis tenetur scire; quare potest esse
causa peccati, si sit vincibilis, ut docet S. Tho-
mas 1. 2. quæst. 76. art. 2. *Dixi habitualis & actualis,*
quia si quis actu sciat aliquid, licet non sciat ex
habitu, non potest dici igneans: similiter si quis
sciat aliquid habitu, licet actu non consideret,
non dicitur ignorans, sed inconsideratus. Ter-
tius est positivus error intellectus, consistens in
falso de re aliqua judicio. Quartus denique est
defectus considerationis, sive inconsideratio; &
hæc duplex est, una negativa, dicens carentiam
actualis considerationis, quando quis non tene-
tur actualiter attendere; altera privativa, eandem
carentiam involvens, sed pro illa differentia tem-
poris in qua tenebatur intellectus actualiter
considerare. Quæritur ergo, quâ viâ ex tribus ulti-
mis

mis defectibus primum Angeli peccatum præcesserit, an ignorantia, vel error, aut inconsideratio? pura enim nescientia non potest esse causa peccati, ut dictum est.

§. II.

Resolutio difficultatis propositæ.

Dico igitur, primum Angeli peccatum non provenire ex ignorantia, vel ex errore, sed solum ex inadvertentia, seu inconsideratione. Ita D. Thomas 3. cont. Gent. cap. 110. ad 1. quæst. 16. de malo art. 2. ad 4. & hic art. 1. ad 4. & communiter Theologi contra Argidium & Pefantium, quos refert Nazarius.

133. Probatur prima pars: Angelus à principio suæ creationis habuit scientiam rerum omnium, tam naturalium, quàm moralium, nec non revelationem & fidem eorum omnium, quæ ad honestè operandum in ordine supernaturali necessaria erant: Ergo non potuit ex ignorantia aliqua primum peccare. Consequentia patet: ignorantia enim alicujus objecti, non potest compati in aliquo intellectu, cum perfecta scientia, aut fide, & revelatione illius. Antecedens verò probatum manet ex dictis disp. 6. art. 3. ubi ostendimus intellectum angelicū, ratione sui excessus in gradu immaterialitatis, in hoc differre à nostro, quòd intellectus noster secundum se, & initio suæ productionis est in pura potentia, respectu omnium intelligibilium, etiam naturalium, caret quæ scientiā habituali ipsorum: at verò intellectus Angeli habet congenitam scientiam habituale illorum omnino perfectam, & habitualiter extensam ad illa, nec non revelationem & fidem eorum omnium, quæ ad honestè operandum in ordine supernaturali requiruntur: unde Ezechiel. 28. Lucifer dicitur plenus sapientiā, & perfectus decore, à die conditionis suæ, ubi ibidè ponderavimus.

134. Ex hoc probata manet secunda pars conclusionis: Nam ut discurret S. Thomas quæst. 16. de Dæmonibus art. 6. falsa opinio, sive error, est quædam defectiva operatio intellectus, sicut partus monstruosus est quædam defectiva operatio nature; defectiva autem operatio semper procedit ex defectu alicujus principii, sicut ex aliquo defectu seminis procedit monstruositas partus: At si Angelus à principio suæ creationis habeat scientiam rerum omnium naturalium, & revelationem eorum omnium, quæ ad honestè operandum in ordine supernaturali requiruntur, non habet defectum alicujus principii cognoscendi, ut manifestum est; cum hac enim scientia & revelatione aliquis defectus in principii cognoscendi objecta naturalia vel supernaturalia coherere nequit: Ergo si habet scientiam rerum naturalium, & revelationem supernaturalium &c. ante primum ejus peccatum, error, seu falsum judicium de aliquo objecto, in ejus intellectu reperiri nequit.

135. Confirmatur primò specialiter quoad errorem circa objecta supernaturalia. Duobus tantum modis concipere possumus Angelum errare circa objecta supernaturalia: vel judicando hæreticè falsa esse, quæ à Deo revelata sunt: vel judicando de illis aliquid, quod non est illi revelatum à Deo, nec per evidentem consequentiam ex revelatis deductum: Sed neutro modo potuit primum peccatum Angeli provenire ex errore: Ergo nullo modo. Major est certa. Minor probatur primò quoad primam partem: quia sicut

A actus credendi præsupponit piam affectionem voluntatis applicantis ad fidem, ita judicium hæreticum, vel infidele, præsupponit malam voluntatem applicantem ad illud: Ergo præsupponit peccatum (voluntas enim applicans ad judicium hæreticum non potest non esse peccatum) quod tamen adhuc non potest esse primum in Angelis, quia, ut supra vidimus, primum Angelorum peccatū, debet necessariò esse actus prosecutionis finis ultimi: Ergo multò minus illud judicium hæreticum, erit primum Angelorum peccatum. Et ex his probatur etiam Minor quod ad secundam partem: quia etiam secundum judicium de objectis supernaturalibus, fieri non potest absque aliquo peccato temeritatis voluntatis, applicantis intellectum ad judicium de objecto superexcedenti, sine sufficienti fundamento. Unde D. Thomas loco citato ait: *Ita bono Angelo potest quidem respectu hujusmodi cognoscibilium (scilicet ordinis supernaturalis) esse defectus, sed simplicis negationis, secundum quod Dionysius dicit cap. 7. Ecclesiastica Hierarchia, quod à nescientia purgantur. Non autem potest in eis esse defectus falsæ opinionis: quia cum voluntas eorum sit ordinata, non applicant intellectum suum ad judicandum de illis, quæ cognitionem eorum excedunt. Sed in malis Angelis, propter inordinatam & superbam voluntatem, potest esse respectu hujusmodi cognoscibilium, etiam defectus falsæ opinionis, in quantum exhibent præsumptivum suum intellectum, ad judicandum de his, quæ eis excedunt.*

C Probatur rursus eadem secunda pars conclusionis: Sicut sensus non decipitur per se, sed solum per accidens, circa sensibile proprium, in intellectu semper est verus, per se loquendo, circa proprium objectum; & ad summum decipitur per accidens, propter passionem insurgentem, aut actum vel habitum vitiosum, ratione quorum perturbatur; vel ab aliquo inferiori, puta phantasia, aut hujusmodi: Sed in Angelis nullæ sunt passionēs, nec ante primum peccatum fuit aliquis habitus aut actus vitiosus, ut patet; nec denique potentia inferiores sententia, à quibus obicuraretur vel perturbaretur eorum intellectus: Ergo ante primum peccatum, nullus potuit esse error in intellectu angelico.

D Confirmatur: Error intellectus est malum quoddam grave nature rationalis: Sed non culpæ, nisi sit voluntarius, ac proinde præsupponit malum affectum voluntatis: Ergo peccat: Sed malum peccatæ supponit culpam: Ergo error non potuit reperiri in intellectu Angeli, ante primam ejus culpam.

Quod potest amplius confirmari ex Augustino lib. 3. de libero arbitrio, cap. 24. ubi sic ait: *Approbare vera pro falsis, non est natura instituti hominis, sed pena damnati:* Ergo multò minus est natura instituti Angeli, sed pena damnati; ac proinde non potest convenire Angelo ante peccatum.

E Ex dictis hætenus probata manet ultima pars conclusionis: si enim ex una parte debuit necessariò præcedere alicuius defectus intellectualis, ut in prima suppositione monstravimus, & falsitas in Tractatu de peccatis ostendimus: ex alia verò parte talis defectus non fuerit ignorantia, vel error, ut patet ex probatione primæ & secundæ partis conclusionis; cum nullus alius defectus intellectualis superfit, præter inconsiderationem prævariā, necessariò sequitur eam in Angelis: sed se causam peccati, ac secretam illam primam, per quam

Publi

quam in illorum mentes virus hoc intravit. Unde D. Thomas quaest. 16. de malo art. 2. ad 4. *Semper in peccato defectus intellectus, vel rationis, & voluntatis proportionabiliter se comitantur: unde non oportet ponere in primo peccato Daemonis talem defectum intellectus, ut aliquid falsum existimaverit, puta aliquod malum esse bonum, sed in hoc quod defecit ab apprehensione sua regula & ordinis eius.*

Confirmatur & explicatur amplius haec pars articulo citato ejusdem S. Doctoris quaest. 1. de malo art. 3. ubi haec scribit: *Hoc ipsum quod non est attendere actu ad talem regulam (scilicet rationis) in se consideratam, non est malum, nec culpa, nec poena, quia anima non tenetur nec potest attendere ad hujusmodi regulam semper in actu. Sed ex hoc accipit primum peccatum culpa, quod sine actuali consideratione regule procedit ad hujusmodi electionem. Sicut artifex non peccat in eo quod non semper tenet mensuram, sed ex hoc quod non tenens mensuram, proclit ad incidendam. Similiter etiam Angelus non peccavit ex eo praecise quod non consideravit legem divinam, prohibentem amare beatitudinem naturalem, absque ordine & relatione in Deum ut auctorem & finem supernaturalem, sed ex eo quod absque consideratione hujus regule & praecipi, beatitudinem illam adamavit, & in ea nimium sibi complacuit: unde tota malitia peccati Angelorum, refundenda est in considerationem, seu potius in iudicium inconsideratum, quod prius est in genere causa formalis ipsa electione mala, & quodammodo posterior in genere causa efficientis, ut ex solutione argumentorum patet.*

§. III.

Solutio objectionum.

Obijcitur primo contra secundam partem conclusionis: D. Thomas in 2. ad Annibal. 2. quaest. 1. art. 1. ad 1. ait: *Circa iudicium eligendum in Angelo error esse potuit, quamvis non circa salutem cognitionem eorum ad qua naturalis cognitio se extendit.*

Respondeo S. Doctorem non loqui ibi de errore formali, sed solum de virtuali & interpretativo, qui in inconsideratione privativa consistit, ut clarè se explicat ibidem, dicens: *Intellectus Angeli licet in eligendis non possit ligare passione, licet in nobis accidit, potest tamen impediri a recto iudicio eligendis, per omissionem aliquorum qua consideranda sunt.*

Obijcitur secundo contra eandem partem: Si in Angelis non potuisset esse error ante primum peccatum, maximè quia est malum poenae, & sic sequitur antecedere culpam: Sed haec ratio nulla est: Ergo &c. Minor probatur: quia inconsideratio est malum quoddam naturae angelicae, & nihilominus admittitur ante culpam.

Respondeo concessa Majori, negando Minorem. Ad cujus probationem dico, inconsiderationem, praecise & secundum se sumptam, non habere rationem mali respectu naturae angelicae; nam juxta naturalem ejus conditionem est, quod non semper sit in actuali & omnino perfecta consideratione omnium rerum: unde hujusmodi inconsideratio solum habet rationem quoddam nudae & purae negationis; eo proportionali modo quo limitatio in creaturis, secundum se & praecise sumpta, non habet rationem mali, sed est juxta naturalem conditionem eandem creaturarum, habetq; rationem nudae

Tom. II.

A & purae negationis respectu illarum. At verò error habet rationem mali propter dicti, respectu naturae angelicae, quia est dispositio quaedam positiva & disconveniens naturae perfecte intellectuali; & propterea error qui secundum se est malum poenae, respectu praedictae naturae perfectae, non potest esse ante malum culpae, & independentem ab eo; bene tamen praedicta inconsideratio secundum se & praecise sumpta. Dico, secundum se, & praecise sumpta: nam si consideretur secundum id quod aliunde habet, nempe ut est voluntaria, seu quatenus habens illam inconsiderationem, vult cum ea procedere ad opus, ad quod rectè exequendum requiritur inconsideratio, planum est illam non esse purè negationem, sed privationem, habereq; rationem mali: verum tunc supponit in al quo genere causae peccatum voluntatis; & ita malum hoc non est ante primum peccatum, ut magis patebit ex infra dicendis.

Obijcitur tertio contra tertiam partem conclusionis: Juxta SS. Patres Angelus peccavit ex malitia; unde non est admissus ad poenitentiam; sicut est admissus homo, quia peccavit ex infirmitate: Sed peccare ex malitia, non est peccare ex inconsideratione, sed potius ex plena deliberatione & consideratione; quia inconsideratio potius reducitur ad peccatum ignorantiae & infirmitatis, quam ad peccatum malitiae: Ergo primum Angeli peccatum ex inconsideratione non processit: maximè cum ex Scriptura constat, Luciferum, ejusq; sequaces, a bonis Angelis, & praesertim à Michaële dicente: *Quis ut Deus? fuisse admonitos de his qua considerare debebant, scilicet divinam similitudinem non esse superbe appetendam.*

Confirmatur: Eadem videtur esse ratio de primo peccato Angelorum, ac de peccato primorum parentum: Sed primi parentes non peccaverunt ex inconsideratione: Ergo nec mali Angeli. Minor probatur: nam Eva fuit admonita de praecipto divino, cum serpens ei dixit: *Cur praecipit vobis Deus, &c.* Adam verò non fuit seductus, ut dicitur 1. ad Timotheum 2.

Ad objectionem respondeo SS. Patres velle, ex eo peccatum hominis esse magis venià dignum quam peccatum Angelorum, quia licet utrumq; processerit ex inconsideratione, inconsideratio tamen hominis non oriebatur ex pura malitia, sicut inconsideratio Angelorum, quatenus mala, sed ex infirmitate carnis cum ipso congenitae. Ita formaliter D. Gregorius lib. 4. Moralium cap. 9. *Duas (inquit) ad intelligendum creaturas Deus fecerat, angelicam videlicet & humanam: utramq; verò superbia percussit; sed una regmen carnis habuit, alia verò nihil infirmum de carne gestavit: misertus ergo Creator, illam ad se debuit reducere, quam in perpetracione culpa, ex infirmitate aliqui constat habuisse; & eo amplius debuit apostatam Angelum repellere, quo cum à persistendi fortitudine corruit, nihil infirmum ex carne gestavit. Item lib. 9. cap. 28. Angelorum (inquit) Spiritus idcirco irremissibiliter peccaverunt, quia tanto robustius stare poterant, quanto eos carnis commixtio non tenebat. Homo vero idcirco post culpam veniam meruit, quia per carnale corpus aliquid, quo seipso minor esset, accepit.*

Ad illud quod additur ex Scriptura dico, quod admonitio facta per Michaëlem & bonos Angelos, cum fuerit facta post vitam superbiam & resistentiam malorum, fuit posterior, saltem naturae, peccato ipsorum; unde illa non potuit

LII impe.

impedire quòd mali Angeli ex inconsideratione peccarent; maxime quia ex vi hujus admonitionis solum habuerunt considerationem speculativam, non autem practicam & imperativam, quæ erat necessaria ad cõtinendam voluntatem.

146. Ad confirmationem, datâ Majori, nego, Minorem. Ad cujus probationem dicendum est, quòd licet Eva, diabolo proponente, consideraverit præceptum divinum; tamen cum ad Dei similitudinem à Dæmone propositam, per scientiam boni & mali consequendam, inclinavit affectum, præcepti considerationem abjecit, & ita divinam appetendo similitudinem, cum tali inconsideratione peccavit. Adam verò dicitur non fuisse seductus, quia non fuit primò seductus in universali, sed tantum in particulari eligibili, ut explicat S. Thomas supra caput citatum Apotoli lect. 3. his verbis: *Seductio autem duplex est, scilicet in universali, & particulari eligibili, quæ est ignorantia electionis. Quicumq; ergo peccat, seducitur ignorantia electionis in particulari eligibili: mulier autem fuit seducta, ignorantia in universali, quando scilicet credidit quod serpens dixit; sed vir non credidit hoc, sed deceptus fuit in particulari, scilicet quòd gerendus esset mos uxori, & cum ea comedere deberet; & inexpertus divina severitatis, credidit quod facile ei remitteretur.*

147. Objicitur ultimò: Si primum Angelorum peccatum, ex inconsideratione, seu judicio inconsiderato procederet, tale judicium deberet esse culpabile, subindeq; voluntarium, ut constat: Sed non fuit culpabile nec voluntarium: Ergo ex illo non processit primum peccatum Angelorum. Probat Minor: Vel enim esset culpabile & voluntarium, per illum actum voluntatis quem regulat, & in quo consistit primum peccatum Angelorum, vel per alium actum priorem. Neutrum dici potest: Ergo &c. Probat Minor quoad primum: Tum quia cum omnis regula sit prior mensurato, judicium illud debuit actum voluntatis quem regulat, & in quo consistit primum Angelorum peccatum, præcedere; atque adeò non fuit voluntarium per illum actum; Tum etiam, quia non salvaretur quòd quilibet defectus voluntatis oriatur ex aliquo priori defectu intellectus; nam si judicium illud inconsideratum, fuisset malum & culpabile, per illum actum voluntatis quem regulabat, non ipse intellectus, sed potius voluntas fuisset prima radix defectus, tam sui ipsius, quam intellectus. Probat eadem Minor quoad secundum: quia prior ille actus, per quem tale judicium esset culpabile, debuisset esse etiam regulatus per aliud judicium inconsideratum; de quo idem posset fieri argumentum, & sic in infinitum. Sequitur ergo primum Angelorum peccatum, ex inconsideratione seu judicio inconsiderato procedere non potuisse.

148. Huic difficili argumento respondent communiter nostri Thomistæ, judicium illud inconsideratum, esse voluntarium & culpabile, per ipsum actum voluntatis quem regulat; ita ut judicium, antecedit in genere causæ formalis extrinsecæ & regulativæ, subsequatur verò in genere causæ efficientis: quia dicunt voluntatem Angeli per primam volitionem malam applicare & movere quantum ad exercitium intellectum, ad judicium inconsideratum, & è contra intellectum per tale judicium movere voluntatem quoad specificationem; subindeq; hoc adhuc posito salvari, quòd quilibet defectus vo-

luntatis oriatur ex aliquo defectu intellectus, priori in genere causæ formalis extrinsecæ & regulativæ, quamvis non simpliciter & in omni genere.

Verum nisi hæc solutio magis explicetur, facti graves patitur difficultates. Quamvis enim certum sit, voluntatem movere intellectum, quantum ad exercitium, & moveri ab ipso quoad specificationem; non videtur tamen possibile, primam volitionem malam Angelorum, potuisse dependere, & esse posteriorem judicio inconsiderato, etiam in genere causæ formalis extrinsecæ, si tale judicium fuit ab illius genere causæ efficientis: quia causa efficiens, naturâ saltem, præsupponitur suo effectui ut existens, & consequenter extra omnem modum dependentiæ & causalitatis. Deinde judicium regulans actum voluntatis, concurret ad illum in genere causæ efficientis, saltem moralis, secundum omnes, modo & physicæ, juxta Cajetanum, & plures alios ex nostris Thomistis: Sed implicat aliquid esse causam & effectum, prius & posterius respectu ejusdem, in eodem saltem genere causæ: Ergo tale judicium non potest dependere, & esse posterius actu voluntatis quem regulat, in genere causæ efficientis.

Has tamen instantias solvere facile poterit, dicendo quòd licet repugnet causam efficientem dependere in genere causæ efficientis, aut etiam formalis, à suo effectui, secundum illam rationem secundum quam efficitur ab ea, ut probat utrumq; argumentum: nullum tamen est inconveniens, quòd aliquid sit causa efficiens alterius, secundum unam rationem, & quòd ab eodem secundum aliam rationem dependeat in quocumq; genere causæ: quia tunc non verificatur aliquid esse causam & effectum prius & posterius, respectu ejusdem. Sic autem contingit in proposito: nam illud judicium inconsideratum habet & quòd sit cognitio ad tale objectum terminata, & quòd sit cognitio voluntaria & culpabilis: quatenus voluntaria & culpabilis, ita dependet in genere causæ efficientis à prima volitione mala Angelorum, ut in nullo genere causæ eam ut sic spectata præcedat, quatenus verò est cognitio ad tale objectum terminata, antecedit volitionem malam in genere causæ formalis extrinsecæ, dirigentis & regulantis: eam tamen sub illa ratione non subsequitur in genere causæ efficientis.

Ex dictis in hoc articulo intelliges, unicam tantum esse viam, per quam peccatum in naturam angelicam subintrare potuit, nempe inadvertentiam, seu inconsiderationem: cum tamen triplex in homine ad peccatum pateat aditus, ignorantia scilicet, infirmitas, & malitia; imò ferè tot pateant viæ, quot sunt sensuum aditus, quibus peccatum in animam intrat, & intractiora cordis illabitur. Per quinque enim corporis sensus (inquit Bernardus) veluti per quinque portas, visum scilicet, auditum, gustum, odoratum, & tactum, sagittis suis nos vulnerat, & mors intrat in animam nostram. Respicit oculus, & mentis sensum attrahit. Auris audit, & intentionem cordis inflectit. Odoratus cogitationem impedit. Os loquitur, & fallit. Per tactum ardor libidinis pro aliqua parva occasione excutatur, & nisi illico respuatur, subitò totum corpus occupat, urit, & incendit. Præterea caro suggerit multa, mundus vana, diabolus amara. Heu quot ad peccatum irritamenta! quot laquei! quot viæ! undiq; circumstantia, undiq; pericula; quocumq; me vertam, cubila est securitas.

ARTICULUS V.

Primum Angelus in primo instanti suae creationis peccare potuerit?

§. I.

Præmittitur quod apud omnes est certum, & reverentur sententia.

Angelum in primo instanti creationis non peccasse, ita certum est apud Scholasticos, ut D. Thomas quæst. 6. de Dæmonibus art. 4. & in 2. dist. 3. quæst. 1. art. 1. & hic art. 5. dicat contrariam opinionem fuisse reprobam ab omnibus Magistris tunc Parisiis legentibus. Et merito: aperte enim contradicit sacra Scripturæ, in qua habetur Angelos malos fuisse aliquando bonos: v.g. Ezechiel. 18. de Lucifero dicitur: Perfectus in virtute à die conditionis tuæ, inventa est iniquitas in te. Et Joan. 8. dicitur Diabolum in veritate non fuisse; & in canonica Jacobi, malos Angelos non servasse suum principatum. Denique Isaia 14. sub figura principis Babylonis de Diabolo dicitur: Quomodo cecidisti de celo Lucifer, qui mane oriebatur? Quibus verbis etiam innuitur Luciferum non esse manè, & dum oriebatur, è cælo cecidisse: quia immediatè post primum suæ conditionis inhaerens, in secunda scilicet discreti sui temporis momento, peccavit, ut disputatione præcedenti ostensum est. Unde in Concilio Lateranensi, cap. firmior de Iumma Trinitate, sic habetur: Diabolus & alii Dæmones, à Deo quidem naturæ creati sunt boni: ipsi ipsi per se facti sunt mali. Et Origenes in homil. in Ezechiel. Serpens, inquit, non semper fuit serpens, prima quidem à Deo bonus creatus, sed propria voluntatis pravitate Dæmon effectus. Unde in Concilio Bracarensi 1. damnatur qui dixerit Diabolum non fuisse prius Angelum bonum à Deo factum. Deinde si Angelos ita in initio creationis peccasset, non fuisset in gratia conditus, cum peccatum & gratia, de lege salutem Dei ordinata, simul esse nequeant: Consequens repugnat Scripturæ & SS. Patribus disp. præcedenti art. 2. citatis: Ergo &c. Difficultas ergo solùm est, utrum licet de facto Angeli in primo creationis instanti non peccaverint, in eo tamen, salutem de potentia Dei absolutam, peccare potuerint?

Partem affirmativam tenet Scotus in 2. dist. 7. quæst. 2. quem ex modernis sequuntur Suarez, Valquez, Molina, Valentia, & alii: negativa verò communis est in Schola D. Thomæ, eamque ex professo docent non solùm S. Doctor, & omnes eius Discipuli, sed etiam plures alii, tum antiqui, ut Alensis, Richardus, Divus Bonaventura, Hugo à S. Victore, tum moderni, ut Arrubal, & Granado; quamvis diversis nitantur principis.

§. II.

Clausula negativa statuitur.

Dico igitur: Angelus in primo instanti suæ creationis peccare non potuit.

Probat primò conclusio ratione D. Thomæ hic art. 5. quæ sic potest proponi. Si Angelus in primo instanti creationis peccaret, tale peccatum Deo ut auctori ac motori speciali tribueretur: Tom. II.

A Sed implicat peccatum Deo attribui: Ergo & Angelum in primo instanti creationis peccare. Minor patet, Major autem sic probatur à D. Thomæ. Prima operatio quæ incipit cum ipso esse rei, tribuitur Auctori naturæ ipsius rei: Ergo si Angelus in primo instanti creationis peccaret, tale peccatum Deo ut auctori tribueretur. Consequentia est manifesta, Antecedens verò, in quo est tota difficultas, multipliciter suadetur. Primò quia idcirco motus gravium & levium ad suum locum naturalem, sive centrum, dicitur inesse eis à generante, quia incipit cum esse illorum, quoties producuntur extra locum suum naturalem. Secundo probatur exemplo tibie, quæ si nascatur curva, & statim incipiat claudicare, claudicatio reducitur in debilitatem principii generantis. Tertio, quia idcirco motus cordis in animalibus generanti tribuitur, quia incipit unà cum ipsis animalibus, Ratio autem horum omnium est, quia operatio quæ incipit cum esse rei producat, est veluti corollarium quoddam sequens ad naturam illius, & ita debet esse ab agente dante illi esse: propter quod communiter dici solet, quòd qui dat esse, dat etiam consequentia ad esse, quæ nimirum in primo productionis instanti fiunt.

Adde quòd operatio procedens à natura, secundum inclinationem ab Authore naturæ acceptam, ipsi naturæ auctori debet attribui, v. g. moveri sursum, dicitur inesse igni à generante, quia est secundum inclinationem quam habet à generante ad locum sursum: Sed operatio quæ incipit simul cum esse rei, procedit à natura secundum inclinationem ab authore naturæ acceptam: Ergo ipsi naturæ auctori debet attribui. Major patet, Minor probatur. Cum res incipit esse, non habet aliam inclinationem & dispositionem, præter illam quam accipit ab authore naturæ: Ergo si tunc operatur, oportet quòd operetur secundum inclinationem ab authore naturæ acceptam.

Dices primò: Ignis in eodem instanti quo est, calefacit & illuminat, & tamen generanti non tribuitur illa calefactio & illuminatio: Ergo hæc propositio D. Thomæ: Operatio quæ incipit cum ipso esse rei, tribuitur auctori ipsius rei: falsa est, subindeque totus noster discursus, falso nititur principio.

Sed contra: Hæc propositio Divi Thomæ non est intelligenda de omni operatione quæ incipit cum esse rei, sed de illa solùm quæ se habet ut principium cæterarum, & constituit ipsam rem genitam in actu primo ad se movendum: & ita calefactio & illuminatio, licet incipiant cum esse ignis, non tamen tribuuntur generanti; sicut nec motus vitales qui sequuntur post motum cordis, etiam si simul tempore sint cum illo; quia hæc non incipiunt tanquam principia requisita ut ignis vel animal constituentur in actu primo, seu in statu connaturali & apto ad se movendum: at verò prima operatio Angeli, incipiens cum esse illius, ipsum in actu primo ad se movendum & operandum constituit, ut infra patebit: Ergo illa tribui debet Auctori naturæ, & à Deo ut speciali motore procedere.

Dices secundò cum Molina, Valentia, & Beganò, quòd licet operatio naturalis, seu determinata ad unum per modum naturæ, quæ incipit cum esse rei, tribui debeat specialiter auctori ipsius rei, ut patet in exemplis adductis, non tamen actio vitalis & libera, qualis est prima Angeli operatio: ratio:

ratio: nam eo ipso quod sit vitalis & libera, debet esse à principio intrinseco, non verò ab agente extrinseco, movente & applicante ad ipsam.

158. Sed contra: Licet de ratione actionis vitalis & liberæ sit quod procedat à principio intrinseco eliciente, ei tamen non repugnat procedere à principio extrinseco movente & applicante, imò potius prima operatio libera hoc exigit necessariò, ut infra ostendemus, & manifestè declarat Divus Thomas 1. 2. quæst. 109. art. 2. ad 1. his verbis: *Homo est dominus suorum actuum & volendi & non volendi, propter deliberationem rationis, que potest scilicet ad unam partem vel ad aliam: sed quod deliberet vel non deliberet; est huiusmodi etiam sit dominus, oportet quod hoc sit per deliberationem præcedentem; & cum hoc non procedat in infinitum, oportet quod finaliter deveniatur ad hoc, quod liberum arbitrium hominis moveatur ab aliquo exteriori principio, quod est supra mentem humanam, scilicet à Deo.*

Addo ex eodem S. Doctore quæst. 16. de malo art. 4. ad 6. quod prima Angeli operatio, debet esse aliquâ ratione naturalis: nam sicut natura est illud quod est prius in qualibet re, ita oportet ut illud quod pertinet ad naturam, sit prius in unoquoque: unde etiam in voluntate Angeli primò debet esse operatio, quæ dicatur naturalis, ratione alicujus determinationis ad unum, saltem quoad specificationem, ita ut antecedat operationem liberam quoad specificationem & exercitium.

159. Dices tertio cum Scoto: Licet operatio defectuosa incipiens cum esse rei productæ, tribui possit & debeat ipsius auctori, si solus in illam operationem influat, secùs tamen si non nisi cum re producta influat in illam; tunc enim defectus illius operationis, debet rei productæ, indebito modo operanti, duntaxat attribui; unde cum solus Deus non influat in primam operationem Angeli, sed ipse Angelus eam simul cum Deo producat, si illa sit defectuosa, & defectus non debet in Deum referri, sed in Angelum malè operantem, & à rectitudine divini concursus se subtrahentem.

160. Sed contra: Licet auctor rei productæ non influat solus in primam ipsius operationem, solus tamen ad illam movet & applicat, ut videbitur infra: hoc autem sufficit, ut defectus talis operationis illi tribuatur; quia causa dirigens & applicans, non minùs dicitur causa actionis, quam causa eliciens.

161. Probatur secundò conclusio: Angelus in primo instanti suæ creationis, non potuit habere malam & defectuosam cogitationem intellectus: Ergo neque malam & defectuosam operationem voluntatis. Consequentia patet: quia (ut articulo præcedenti ostendimus, & latius in Tractatu de peccatis expendemus) non potest esse peccatum in voluntate, sine aliquo defectu in cognitione intellectus. Antecedens probatur: cum illa cogitatio, quam in primo instanti habet Angelus, sit omnium prima, debet esse immissa à Deo; siquidem non est liberè electa ab Angelo, quia ante omnem liberam electionem, præcedit prior cogitatio intellectus: Sed mala & defectuosa cogitatio, ex qua infallibiliter sequitur peccatum, non potest à Deo ut specialiter motore immitti; aliàs peccatum illi imputaretur; Ergo Angelus in primo instanti creationis, malam & defectuosam cogitationem intellectus habere non potuit.

Dices: Deus sæpè causat in nobis cogitationes,

ex quibus videt futurum peccatum; & tamen non imputatur illi peccatum, nec nos excusamur ab his voluntatem liberam: Ergo licet prima cogitatio Angeli debeat esse immissa à Deo, non sequitur tamen quod operatio voluntatis ad eam sequata, attribuitur & imputetur illi, si sit deficiens.

Respondeo, quoddam esse cogitationes quas Deus in nobis causat solum per modum cause universalis, non excludendo quin simul sint ex libera applicatione voluntatis, & alias quas nobis specialiter immittit sine nobis, per modum moventis particularis: quamvis autem ad cogitationes primo modo à Deo immittas, possit primò & immediatè sequi actus malus in voluntate, secùs tamen ad cogitationes secundi generis. Et hujus ratio est, quia non potest esse defectus in voluntate, nisi sit defectus in dictamine intellectus: in illo autem dictamine quod Deus format primo modo, potest esse defectus proveniens ab ipsa voluntate, quæ sub Deo prædeterminante applicat intellectum ad illud formandum: at verò in secundo nequit esse aliquis defectus; quia cum solus Deus ad illud applicet intellectum, ab illo solo provenire ille defectus. Unde negandum est suppositum, loquendo de cogitationibus quas Deus immittit nobis sine nobis, quòd nimirum videtur futurum ex illis immediatè peccatum: oportet enim quòd primus actus voluntatis ex illis sequatur sit rectus, quamvis postea possit voluntas se ad malum applicare, applicando intellectum ad aliquod dictamen deficiens; sicut de facto demones in secundo instanti, cognitione à Deo immissa malè utentes, applicaverunt intellectum ad iudicium inconsideratum de sua excellentia acerritudine naturali diligenda, sine dependentia & subordinatione ad Deum ut auctorem & finem supernaturalem.

Tertiò probatur conclusio: Ut Angelus possit peccare in aliquo instanti, requiritur quòd possit seipsum movere & applicare ad illum actum qui dicitur peccaminosus: Atqui Angelus in primo instanti suæ creationis, non potest se movere & applicare ad primum actum quem elicit, sed ad illum debet necessariò moveri & applicari à Deo: Ergo in illo instanti peccare non potest. Major patet, Minor verò sic ostenditur. Ut Angelus possit seipsum movere & applicare ad primum actum, oporteret ut per ordinem ad illum non esset in pura potentia, sed aliquo modo in actu: cum enim ex una parte movens reducat mobile de potentia in actum, ex alia verò id non possit præstare per potentiam, sed per actum; ut Angelus se moveret & applicaret ad primum actum, debet presupponi in actu priori, per quem ad primum actum se moveret & applicaret. Sed hoc manifestè involvit contradictionem: Ergo implicat quòd Angelus seipsum moveat & applicet ad primum actum; sed necessariò ad illum debet moveri & applicari ab aliquo exteriori principio, scilicet à Deo; sicut ad primum motum cordis animal movetur à generante.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Licet voluntas, & quilibet alia potentia vitalis, elicitivè cause omnes suos actus, non causat tamen omnes applicativè, sive quod idem est, non se movet ad omnes, sed interdum specialiter debet applicari ab aliquo exteriori principio: certus ratio est, quia voluntas non se applicat ad illa que

quem actum, nisi ex prævio dictamine ad quod
 prius applicat intellectum, nec potest applicare in-
 tellectum, nisi ex aliqua priori noticia, quia nihil
 volutum, quin præcognitum: unde ne detur pro-
 cessus in infinitum, debet fieri resolutio omni-
 um motuum voluntatis in aliquod principium
 exercitius movens, à quo applicetur intellectus spe-
 cialiter ad formandum dictamen, & consequenter
 eorum moveatur voluntas ad primum actum, ex
 quo ipsa possit postea se movere. Ex quibus evi-
 denter concluditur, voluntatem angelicam elice-
 re eandem primam operationem, quæ cum esse
 illius incipit, sed non se applicare ad illam: quia
 ante primam operationem, non potest formare
 in intellectu, aut applicare intellectum ad forman-
 dum dictamen, quo mediante se applicet, sed de-
 bet intellectus ab alio moveri ad huiusmodi dicta-
 men formandum: non est autem alia causa à qua
 moveri possit intellectus, quam ipsemet Deus;
 cum ipse solus possit illi menti angelicæ, & in-
 tu intellectum & voluntatem ejus operari: Ergo
 Deus debet movere & applicare intellectum An-
 gelicæ ad primum illud dictamen, non solum ut mo-
 veatur generalis, & per influxum illum prævium &
 generaliter, quo causas omnes ad agendum præde-
 terminat, juxta modum ipsarum, sed etiam ut mo-
 veatur particularis, & speciali quodam modo, effi-
 cendo scilicet respectu illius, quod facit ipsa vo-
 luntas respectu aliorum subsequentium. Unde
 si defectus in dictamine, ex speciali applicatio-
 ne voluntatis procedente, & in actu voluntatis per
 illud regulato, refunditur in voluntatem applican-
 tem, ita si esset defectus in primo illo dictamine ad
 quod Deus specialiter applicat, & in actu volun-
 tatis per illud immediatè regulato, talis defectus
 esset à Deo.

Dices: Si primus actus voluntatis angelicæ re-
 duceretur in Deum, specialiter applicantem ad
 primum dictamen regulativum illius, talis actus
 non esset liber: Sed hoc non est dicendum: Ergo
 nec illud. Sequela probatur: Nam ille actus vo-
 luntatis non est liber, qui non regulatur per dicta-
 men sive judicium præcognitum quod sit in potestate
 voluntatis: At in casu posito primus actus volun-
 tatis Angelicæ non regularetur per dictamen sive
 judicium præcognitum, quod esset in potestate ipsius
 voluntatis, sed quod à solo Deo applicante proce-
 deret: Ergo non esset liber.

Respondeo distinguendo Majorem: Talis actus
 non esset liber omninò, id est quoad specificatio-
 nem simul & exercitium, concedo: non esset liber
 aliquo modo, & saltem quoad exercitium, nego.
 Quamvis enim ad libertatem omnino completam,
 in qua voluntas dicatur se movere, sit necessa-
 rium quod reguletur per dictamen quod sit in
 ipsius potestate, & quod ex eius applicatione
 procedat, ad libertatem tamen contradictionis,
 & inchoativam libertatis completæ, sufficit judi-
 cium indifferens, quod utramque partem ut con-
 venienter proponat, intimando tamen unam po-
 tiorè quàm aliam esse hic & nunc omnibus pensatis
 eligendam. Adde quod, licet primum dictamen
 regulativum voluntatis angelicæ, non sit in eius po-
 testate simpliciter, & quoad eius incæptionem, est
 tamen in eius potestate secundum quid, & ex parte
 objecti, & quoad continuationem; quod sufficit
 ad libertatem exercitii.

Ex dictis inferes, quod si Deus produceret ho-
 minem in statu usûs rationis, primus actus quem
 haberet, esset necessitati ordinatio in bonum ho-

minem, sive intentio beatitudinis, saltem in com-
 muni, ad quem deberet à Deo applicari ut ab a-
 gente particulari: & sic in eodem instanti non pos-
 set habere actum aliquem malum; quia omnis ac-
 tus quem haberet, esset ab illa prima intentione
 boni, prout esset ex speciali applicatione Dei;
 quamvis postea quando illa intentio definirer esse
 à Deo ut ab agente particulari, eò quod inciperet à
 voluntate liberè conservari, possent ab ea proce-
 dere plures actus mali, mediâ applicatione vo-
 luntatis.

§. III.

Solvuntur objectiones.

B Obicies primò contra præcedentem conclu-
 sionem: Homo potest peccare in primo in-
 stanti usûs rationis: Ergo & Angelus in primo in-
 stanti suæ productionis. Consequentia videtur bo-
 na ex paritate rationis. Antecedens probatur: quia
 ut docet D. Thomas 1. 2. quæst. 89. art. 6. & eius
 Discipuli communiter, puer ad usum rationis per-
 veniens, tenetur in primo instanti se convertere ad
 Deum; quod tamen præceptum non omnes, imò
 fortè pauci, adimplent.

Confirmatur: Homo in primo instanti suæ pro-
 ductionis, seu unionis animæ ad corpus, contrahit
 peccatum originale: Ergo similiter Angelus in pri-
 mo instanti suæ productionis poterit aliquod pec-
 catum contrahere seu committere.

C Ad objectionem respondet primò Joannes à S.
 Thoma, concessio Antecedente, negando conse-
 quentiam & paritatem: quia puer perveniens ad
 usum rationis, elicit actum deliberatum, movendo
 se & formando sibi dictamen, quod proinde potest
 esse defectuosum; non autem Angelus in primo in-
 stanti creationis, ut supra ostensum est. Ratio hu-
 jus est: quia puer antecederet ad hunc actum
 quem elicit in primo instanti usûs rationis, habet
 alios actus imperfectos intellectus & voluntatis, ex
 quibus ad operandum deliberatè se movere: & quia
 illæ volitiones antecedentes, possunt versari, &
 frequenter versantur, propter malam assuetudi-
 nem puerorum, circa delectabilia rationi contra-
 ria, idè licet non sint tunc peccaminosæ, defectu
 libertatis, potest tamen puer juxta illas applicare in
 primo instanti usûs rationis intellectum ad dicta-
 men defectuosum, & consequenter voluntatem ad
 volitionem peccaminosam, absq; eo quod defe-
 ctus refundatur in Deum, utpote qui solum con-
 currit & applicat per modum causæ generalis, ipsa
 verò voluntas pueri est causa specialiter applicans,
 & non tantum eliciens. Caterum hæc ratio non
 habet locum in Angelis: quia Angeli non habent
 disponsi ab actu imperfecto ad perfectum ut ve-
 niant ad usum rationis, sed statim à principio libe-
 re operantur; unde antequam perveniant ad usum
 rationis, non eliciunt aliquam operationem im-
 perfectam, ex qua se moveant & applicent ad actus
 deliberatos.

Respondeo secundò cum multis aliis Thomistis,
 distinguendo Antecedens: homo potest peccare
 in primo instanti usûs rationis, si intelligatur de
 primo instanti initiativo attingentiæ usûs rationis,
 nego: si de terminativo, concedo.

Explicatur solutio: Homo non incipit attingere
 usum rationis in unico instanti physico, sed in
 aliqua morula temporis, longiori aut breviori
 secundum quod fuerit subtilioris aut tardioris in-
 geali; cujus ratio est, quia non attingit usum
 rationis

rationis, per discursum formalem, procedendo de cognitione confusa & in communi, ad distinctam; unde in primo instanti illius moralæ, quod dicitur instans initiativum attingentiæ usûs rationis, homo se habet sicut Angelus in instanti creationis, quia eius intellectus applicatur à Deo ad primum dictamen rectum, ex quo infallibiliter sequitur primus actus rectus voluntatis; ex hoc verò actu applicat se ad consilium & deliberationem, in cuius instanti terminativo potest esse peccatum; sicut potuit esse in Angelo statim post creationem, quando plenè potuit deliberare & se movere. De hoc ergo instanti terminativo primi discursus humani, intelliguntur ea quæ docentur à Divo Thoma loco citato, non autem de instanti initiativo: quia omnis actus, quem in illo instanti homo potest habere, est ex speciali motione Dei; & sic in eo nequit esse peccatum; sicut nec in actu Angeli in primo instanti creationis elicitio. Est tamen hæc notabilis differentia inter Angelos in primo instanti creationis, & hominem in primo instanti initiativo primi discursus, quod homo in tali instanti postulat solum applicari à Deo ad cognitionem & volitionem beatitudinis, sive boni in communi; ex quo potest immediatè postea se movere ad beatitudinem illam quærendam in bonis sensibilibus, aut in bono honesto, Deo solum operante per modum agentis universalis: At verò Angelus ex altiori gradu perfectionis quo excedit hominem, petit à Deo tunc moveri ut ab agente particulari ad cognitionem & amorem ultimi finis materialiter & in particulari; quia habet ex sua natura non procedere de potentia ad actum, sive de imperfecto ad perfectum, ut alibi explicatum est.

172. Ad confirmationem, concessio Antecedente, nego etiam consequentiam & paritatem. Ratio disparitatis est, quia anima hominis non contrahit peccatum originale, eo modo quo Angelus personale, per propriam scilicet operationem, sed illud contrahit, quia efficitur pars humanæ naturæ jam infectæ peccato primi parentis: ex hac autem differentia fit quod contractio peccati originalis in puero, licet in primo instanti productionis ipsius contingat, non debeat refundi in Deum, sed in Adamum; lectus verò contractio peccati actualis, quæ contingeret in Angelo in primo instanti sui esse. Solutio est D. Thomæ quæst. 16. de malo art. 4. ad 21. ubi sic habet: *Anima in primo instanti suæ creationis efficitur mala, non per actionem propriam, sed per unionem ad corpus infectum: unde non est similis ratio de Angelo, qui non potuit fieri malus nisi per actum proprium.*

173. Obijcies secundò: Angelus in primo instanti suæ creationis habuit omnia requisita, tam ex parte intellectus, quam ex parte voluntatis, ad hoc ut si veller, tunc peccaret: Ergo potuit in illo instanti peccare. Consequentia patet, Antecedens probatur: quia ex parte intellectus nihil aliud videtur requiri ad posse peccare, quam perfectus usus rationis; & ex parte voluntatis, nihil aliud quam perfecta libertas: Sed Angelus habuit utrumque in primo instanti suæ creationis: Ergo &c.

174. Respondeo negando Antecedens: nam unum requisitis ad hoc ut Angelus possit peccare in aliquo instanti, est, quod seipsum possit movere & applicare ad illum actum qui dicitur peccaminosus: non potest autem Angelus, ut vidimus, seipsum movere & applicare ad primum actum sui intellectus & voluntatis, sed necessariò debet hæc

A motio & applicatio fieri ab auctore nature angelicæ.

Ad do quod, ad peccandum, ex parte intellectus requiritur defectuosum dictamen; ex parte autem voluntatis libertas completa, & perfecta, & que sit contrarietatis & contradictionis, sive quoad specificationem simul & exercitium: Sed neutrum habuit Angelus in primo instanti suæ creationis: Ergo falsum quod habuerit omnia requisita ad peccandum. Probatur Minor quoad dictamen: quia tunc non potuit defectuosum illud dictamen habere à se, cum ad primum dictamen voluntatis non possit applicare intellectum, ut supra ostendimus: nec etiam à Deo, quippe qui non potest defectuosè applicare intellectum, seu ad formandum defectuosum dictamen movere. Probatur etiam eadem Minor, quoad perfectam & completam libertatem: quia tunc Angelus habuit solum libertatem contradictionis, sive quoad exercitium, non verò contrarietatis, sive quoad specificationem: Tum quia tunc debuit moveri specialiter à Deo, qui tamen non potest indifferenter movere ad bonum & malum, sed ad bonum tantum: Tum etiam, quia cum prius sit in voluntate, quod sit natura, quam quod sit libera, consequens est ut operatio correspondens ipsi ut causa naturali, prior sit aliquo modo, quam operatio que correspondet ipsi ut agenti libero, ut supra ostensum est.

C Dices: Ad hoc ut Angelus in primo instanti suæ creationis peccare potuerit, sufficit quod in eo instanti fuerit liber, libertate contradictionis & exercitii: Ergo saltem si hanc libertatem in primo instanti creationis habuit, in illo peccare potuit. Consequentia patet, Antecedens probatur. Angelus in primo instanti suæ creationis tenebatur præcepto divino elicere actum dilectionis Dei super omnia: At si fuit liber quoad exercitium, respectu prædicti amoris, potuit tunc non amare, seu amorem illum omittere, maxime quia tunc Deus potuit illi denegare auxilium efficax ad illum elicendum; hujus enim auxilii collatio illi non erat debita, sed omnino liberalis & gratuita: Ergo tunc potuit Angelus peccato saltem omnino non peccare: nam posse peccare peccato omnino, est posse non elicere actum ad quem aliquis ex præcepto tenetur, seu posse illum omittere.

Respondeo negando Antecedens. Ad causam probationem, concessio Majori distinguo Minora. Potuit non amare, seu amorem omittere, potentia consequenti, seu in sensu diviso, concedo: potentia consequenti, seu in sensu composito, nego. Vel secundò distinguo, potuit non amare, prout non amare dicit præcisè puram negationem amoris, concedo: prout dicit privationem amoris, nego. Vel terciò, potuit non amare, seu amorem omittere, omissione physica & naturali, concedo: omissione morali & culpabili, nego. Unde egregiè Cajetanus hic art. 6. §. ad hoc breviter, ait voluntatem Angeli in primo instanti potuisse incurere omissionem actus (quia aliàs libera non fuisset) non tamen omissionem peccatum.

Possunt autem hæc explicari exemplo Christi Domini, qui respectu actus cadentis sub præcepto fuit liber quoad exercitium; & tamen peccare non potuit: quia quamvis illum actum potuerit non elicere, potentia antecedenti, & in sensu diviso, non tamen potentia consequenti, & in sensu composito: vel quia licet potuerit omittere

talem actum, prout omisso est pura negatio actus oppositi, non tamen ut est privatio prædicti actus, ut debiti: de quo plura in Tractatu de Incarnatione, cum agemus de concordia libertatis Christi cum eius impeccabilitate.

Ad illud verò quod subjungitur de denegatione auxilii efficacis ad actum amoris elicendum, dicendum est, quòd licet Deus possit absolute denegare Angelo in primo instanti suæ creationis tale auxilium efficax, non tamen ex hypothese quòd illum elevarerit ad ordinem supernaturalem. Cum enim gratia perficiat Angelum, juxta modum naturæ ipsius, conditio autem naturæ angelicæ exigat habere in primo instanti dilectionem Dei ut ultimi finis naturalis; fit ut Angelo elevato ad ordinem supernaturalem debeat auctus charitatis; & ideo Deus, supposita hac elevatione, tenetur dare auxilium efficax ad elicendum hunc actum in primo instanti: aliàs Angelus in primo instanti esset conversus in Deum ut ultimum finem naturalem, & privativè averfus ab eo ut fine supernaturali, ut pote ad quem ut talem tenetur se convertere. Sicut ex suppositione quod Deus imponat Christo Domino præceptum dilectionis supernaturalis, tenetur illi dare auxilium efficax supernaturale, quia persona impeccabilis est.

Objicies tertio: Angelus in primo instanti hæc creationis mereri potuit, & de facto meruit, ut docet S. Thomas hic art. 5. ad 3. & 4. Ergo etiam in eodem instanti potuit demereri seu peccare. Consequenter probatur: quia plus requiritur ad merendum, quam ad demerendum, nam mereri est bonum quoddam perfectum, demereri autem est malum.

Respondeo concessio Antecedente, negando Consequenteriam. Ad cujus probationem dico non plus, imò minus requiri ex parte indifferentiæ voluntatis ad merendum, quam ad peccandum: nam ad merendum sufficit libertas quoad exercitium, ut patet in Christo, & in sanctis confirmatis in gratia; cum tamen ad peccandum requiratur ista, & insuper libertas quoad specificationem, seu libertas contrarietatis, quæ est inter bonum & malum. Tamen cum hoc fiat commune illud axioma, nempe quòd plus requiritur ad bonum, quam ad malum: quia ad bonum requiritur concursus omnium circumstantiarum debeat; ad malum verò sufficit defectus unius ex illis, juxta illud commune essentiam: bonum ex integra causa; malum verò ex quocunque defectu.

Ad do quòd, licet Angelus in primo instanti mererit præmium perfectum & plenum, non tamen perfecto & pleno modo: quia licet liberè illud mererit, non tamen omnino movendo se, sed ut peculiariter motus & applicatus à Deo ad elicendum actum charitatis, necessarium quoad specificationem, & liberum solum quoad continuationem & exercitium: Ex hoc autem modo libertatis & meriti, non potest colligi, Angelum posse etiam demereri; nam Deus non potest speciali ratione applicare illum ad demerendum.

Objicies quartò: Angelus in primo instanti habebat potentiam peccandi; quia non erat tunc regula omnium suarum operationum: Ergo tunc peccare poterat.

Confirmatur: Angelo in secundo instanti non advenit aliquid intrinsecum, quod antea non haberet: Ergo in primo instanti idem potest

A quantum ex principiis intrinsecis; & ita si ponatur impeccabilis pro primo instanti, solum erat impeccabilis ex manutentione Dei extrinseca, subindeque, de absoluta saltem Dei potentia, in primo instanti peccare poterat.

Ad argumentum respondeo distinguendo 180. Antecedens: habebat potentiam peccandi, reducibilem ad actum pro illo instanti, nego: pro aliis instantibus sequentibus, concedo. Licet enim non esset sibi regula operandi, pro illo instanti, debebat tamen necessariò habere regulam bene operandi sibi conjunctam; quia non poterat ab alio moveri, quam à Deo, per judicium rectum & indefectibile.

B Ad confirmationem distinguo Antecedens: non advenit aliquid intrinsecum, ex parte voluntatis, esto: ex parte intellectus, nego: nam in secundo instanti potest habere dictamen defectuosum, non verò in primo: unde quia defectuosum dictamen simpliciter est necessarium ex parte intellectus ad peccandum, ideo ex defectu alicujus intrinseci Angelus non potest peccare in primo instanti; cumque Deus illum non possit supplere, nec formare in Angelo dictamen defectuosum (aliàs defectus in Deum refunderetur) Angelus, de potentia etiam absoluta, in eo instanti peccare non potest. Quapropter egregiè ait Joanes à S. Thoma, non posse dari peccatum in Angelo in primo instanti creationis, sine dictamine defectuosum: quòd si formatur à Deo, deficit Deus: si verò non formatur à Deo, pro illo instanti, non deficit Angelus; quia ex se formare illud non potest pro illo instanti & primo actu.

C Objicies ultimò: Quamvis prima operatio Angeli non possit esse mala, ob rationes supra assignatas, non sequitur tamen Angelum non posse peccare in primo instanti creationis: Ergo rationes illæ non probant intentum. Consequenter patet, Antecedens probatur: quia Angelus potest habere in primo instanti creationis plures operationes, quarum primà existente bonà, secunda vel tertia poterit esse mala & peccaminosa; & ita quamvis prima operatio Angeli non sit, nec possit esse mala, ille tamen poterit in primo instanti suæ creationis peccare.

Respondeo negando Antecedens. Ad probationem dico, hoc ipso quòd prima operatio voluntatis angelicæ, debeat esse recta in primo instanti, impossibile esse quòd in eodem instanti aliqua operatio mala in eo reperiat. Cujus ratio est, quia prima operatio Angeli, debet esse dilectio sui ipsius, & Dei ut authoris tam supernaturalis quam naturalis: cum hac autem dilectione Dei est impossibile omnis actio mala: Ergo primà operatione existente bonà, non possunt alia in eodem instanti elicita esse mala. Deinde si Angelus in primo instanti creationis posset habere plures operationes, quarum primà existente bonà, alia essent malæ, posset simul habere plures actus, per modum plurium, cujus oppositum supra ostendimus. Ad do quòd operationes quæ sunt in eodem instanti, debent esse subordinatæ: nam ut docet D. Thomas quæst. 16. de malo art. 4. diversæ actiones Angeli non subordinatæ, diversa constituunt instantia temporis discreti: Sed operatio bona, & operatio mala, non sunt subordinatæ, ut patet: Ergo non potest Angelus illas habere in eodem instanti.

E Quæ D. Thomas docet in sequentibus hujus quæstionis articulis, facilia sunt, vel jam explicata: 183.

Diff. 12. a.
cata: quæ enim art. 6. dicit de via Angelorum, ex professo supra tractavimus. In articulo autem 7. quærit an supremus inter Angelos peccaverit? & respondet quod quamvis sententia Damasceni id negantis, nullâ censurâ notanda sit, sententia tamen affirmans est probabilior, & Sacræ Scripturæ conformior: nam Job 40. Lucifer sub typo Behemot appellatur *Principium viarum Dei*: quæ verba sic interpretatur Gregorius 32. Moral. cap. 18. *Principium viarum Dei Behemot dicitur: quia nimirum cum cuncta creans ageret, hunc primum condidit, quem reliquis Angelis eminentiorem fecit. Item Ezechiel 28. Lucifer appellatur: signaculum similitudinis.* Quæ verba exponens idem Gregorius homil. 34. in Evang. subdit: *Non ad similitudinem Dei factus, sed signaculum similitudinis dicitur, ut quod in eo subtilior est natura, ed in illo imago Dei similis insinuetur expressa. Mox subditur (pergit idem) Omnis lapis pretiosus operimentum ejus, novem autem ibi Propheta lapides numerat: quia novem sunt ordines Angelorum: quibus ordinibus ille primus Angelus idè ornatus & opertus extitit, quia dum cunctis agminibus Angelorum prelatus est, ex eorum comparatione clarior fuit. Demum Ezechiel. 31. de eodem Lucifero sub figura Regis Tyri dicitur. Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei... Omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi, & pulchritudini ejus: quoniam speciosum fecit eum in multis condensisque frondibus. Quæ verba similiter idem Gregorius ibidem expendens, subdit: *Quid namque accipim cedris, abietibus, & platani potest, nisi illa virtutum celestium proceræ celsitudinis agmina, in æterna latitæ viriditate plantata: quæ quamvis excelsa sint condita, huic ramen nec prelata sunt nec aquata, qui speciosus factus in multis condensisque frondibus esse dicitur: quia prelatum cæteris Angelorum legionibus, tanta illum species pulchriorem reddidit, quanta & supposita Angelorum multitudo decoravit. Unde Bernardus in primo sermone de adventu: *Initium omnis peccati superbia, quæ tam velociter ipsum quoque sideribus cunctis clarius micantem æternæ caliginæ obtenebravit Luciferum: quæ non modò Angelum, sed Angelorum principem in diabolum commutavit.***

184. Dices: Scriptura Luciferum inter Cherubinos collocat, eumque Cherubinum appellat, ut patet ex illis verbis Ezechielis 28. *Tu Cherub exorientus & proregens, posuisti te in monte sancto Dei: Sed ordo Cherubinarum est inferior ordini Seraphinorum, ut docet Dionysius 7. cap. cælestis Hierarchiæ: Ergo Lucifer inter Angelos supremus non fuit.*

Respondeo cum D. Thoma hic art. 7. ad 1. Luciferum in Scriptura non denominari Seraphim, sed Cherubim: quia Cherubim denominatur à scientia, quæ potest esse cum peccato mortali; Seraphim verò ab ardore charitatis, quæ cum peccato mortali est impossibilis, & quam Lucifer peccando totaliter amisit, ut lepidè illi exprobrat Bernardus, serm. 3. de verbis Isaïæ, his verbis: *Vt quid ergo, tu qui mane oriebaris Lucifer, in veritate non stetitisti, nisi quia Seraphim non fuisti? Seraphim quippe ardens seu incendens interpretatur: tu verò habuisti miser lucem, sed ardorem non habuisti. Bonum erat tibi, si ignifer magis esses quam Lucifer, nec tam immoderato appetitu lucendi, ut et frigidus ipse, frigidam quoque eligeres regionem.*

185. In articulo 8. concludit S. Doctor, primum Angelum per suum peccatum fuisse aliis causam peccandi, non cogentem, directam, & ex

A parte principii actûs peccaminosi moventem (quia sic sola voluntas peccantis est causa proprii peccati) sed indirectam, & moventem ex parte objecti, quatenus scilicet Lucifer, mortuaturè amando propriam excellentiam, propulsit aliis objectum sui peccati abique regula divina; ad quod non est necesse (inquit in resp. ad 1.) peccatum primi Angeli fuisse primum in quo instanti temporis, sed fuisse præcellens instanti nature.

Huic conclusioni D. Thoma favent innumera Scripturæ testimonia: Apocalypsis enim cap. 12. legitur quòd Draco caudâ suâ tertiam stellarum cæli partem traxit. Quæ verba SS. Patres de Lucifer, cæterisque Angelis, cum ipso è cælo cadentibus, interpretatur, Unde B. Cyrillus Hierosol. catech. 2. *Iste, inquit, traxit ad ruinam multos.* Et Nazianzenus carn. 6. sic habet,

Haud solus cecidit Lucifer, verum agmine septuaginti, sceleris cui dux fuit atque magister,

Dux scilicet per exemplum, & magister per suggestionem. Item Isaïa 14. eidem Lucifero dicitur: *Tu terram tuam disperdidisti, in populum tuum occidisti.* Ubi Hieronymus: *Lucifer (inquit) quos sibi Deus in correptionem dederat, penitus perdidit.*

Addo cum D. Thoma, quòd hoc habet ordo divinæ justitiæ, ut cujus suggestioni aliquis consentit in culpa, ejus potestati subdat in pœna; juxta illud 2. Petri 2. *A quo quis superatus est, hujus & servus est:* Atqui omnes mali Angeli subduntur Lucifero in pœna, secundum illud Matthæi 25. *Ite maledicti in ignem æternum, qui parati estis diabolo & Angelis ejus:* Ergo illi adhaerent in culpa.

Ex his intelliges, Luciferum, malorum Angelorum, omniumque reproborum caput, non immeritò appellari; cum non dignitate magis cæteris, quàm improbitate, & peccandi auctoritate ac exemplo præster. Unde Gregorius lib. 4. Moral. cap. 14. *Sicut idem Redemptor noster una persona est cum congregatione bonorum; ipsæ namque caput est corporis, & nos hujus capitis corpus: ita antiquus hostis una persona est cum cuncta collectione reproborum: quia ipse est ad iniquitatem, quasi caput præeminet; illi autem dum ad persuasum deserunt, velut subjunctum capiti corpus inhaerent.*

In articulo ultimo docet numerum Angelorum qui permanerunt esse majorem: quia cum natura in paucioribus deficiat, illud quòd est contra inclinationem naturalem reperitur in paucioribus: Sed peccatum est contra inclinationem naturalem creaturæ intellectuales: Ergo plures Angeli steterunt, quàm ceciderunt: Non est autem eadem ratio de hominibus: quoniam homine est duplex appetitus, intellectualis & sensitivus, pluresque sequuntur sensitivum, quàm intellectivum, & idè plures homines perficiunt à bono rationis. De quo Cajetanus 2. quaestione 7. articulo 2. & Ferrarientis, contra Gentes cap. 76.